DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA

MEDICAMENTA INANIA

IN MEDICINAM

PERVERSIS OPINIONIBVS RECEPTA

LVSTRANS

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO

ATQVE EXPERIENTISSIMO

GODOFREDO CHRISTOPHORO

BEIREIS

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE

SERENISSIMI BRVNOVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM

DVCIS A CONSILIIS AVLICIS MEDICINAE THEORETICAE

MATERIAE MEDICAE CHEMIAE ET PHILOSOPHIAE

NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ORDINIS MEDICORVM H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

D. XXXI. DECEMBRIS CIↃIↃCCLXVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. AVGVSTVS FRIDERICVS

PAPE

GVELPHERBYTANVS

HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACAD. VIDVAE SCHNORRIAE.

§. I.

QVEM AD MODVM erroris omnis origo ignorantia eſt, ita innumerabilium malorum cauſſa errores ſunt, qui quidem, quin eo cautius fugiendi ſint, quo propius animum hominis attingunt vel corpus, qui dubitet fore arbitror neminem. Atque negari omnino non poteſt, errores, qui in arte medica committuntur, funeſtos eſſe, immo vero ſaepe grauiſſimos. Medicina vero ex largo ſcientiarum complexu ea eſt, quae prae omnibus aliis artibus ad philoſophiam quam proxime pertinet. Nefandum eſſe deberet, medicum peruerſis duci opionibus, quia eo magis peſtiferae ſunt, quo celeriores eorum effectus exſiſtunt. Enodata, certa, diſtincta rerum cognitio diſpellit errorum tenebras, qua quidem ſi deſtitutus medicus fuerit, eo per-

niciosior aegrotis euadet, quo efficacioribus medicamentis vsus est, et quo longius in perspicienda morbi caussa opinio eum fefellit. Quodsi autem naturam morbi vel medicus scite perspectam habuerit, naturam tamen non aeque callet medicamenti, quod adhibetur, quam facile nocebit? Horrendum est experimenta facere per mortes. Atqui in ignorantia ea versari medicum circa remedia morborum puto, vbi medicamenta imperat sola ductus auctoritate maiorum fallaci, quae ex opinione non nunquam orta est satis ridicula, quoniam vim rebus tribuerunt, quam nec habent, nec vlla ratione exserere possunt. Tantum abest, vt eiusmodi remediis minantia fata propellantur, vt nec retardare quidem incrementum morbi valeant, immo vero ad sanandum nihil faciant, quid? quod noceant saepe, quum efficaciora adhibere potuisset medicus, quae impetum morbi refrenare potius valuissent. Meditanti mihi de materia disputationis academicae in mentem venit, non ab re fore, neç ab vtilitate publica, si quae auditione in academia ab Illustri PRAESIDE, de medicamentorum natura acceperam et efficacitate, in publicum promerem, et de inanibus non nullis medicamentis disserem, quae ex ridicula saepe medicorum opinione in medicina subinde vsurpari coeperunt.

§. II.

ERVNT fere, qui superuacaneam iudicent earum rerum disputationem, quum nostra aetate nemo forte fue-

fuerit, ſi vel mediocriter artem calleat medicam, quem fugiat, quanta ſit futilium medicamentorum auctoritati priſcae non inuiſa copia; quum nemo forte hodie ſit, quem non ipſe vſus ſuus et experientia ſatis edocuiſſent, quae efficacia, quae probata ſint in medicina, quae minus. Hi ſi cogitauerint, quam frequens ſit in vulgari vſu medico error in experientiâ, quam fallax de iis, quae experiri quisquam ſibi videtur, phantaſia; non fore arbitror, quam ob rem ſatis dignum et e re eſſe diſputationis meae argumentum temere quisquam neget. Quam multi enim e miſere aegrotantibus ſolis naturae viribus, vel virium ſuarum robori, ſanitatem reſtitutam ſibi debent? Pro cauſſa habetur, quod ea non eſt, ſi a medicamento, vel ſi ex taberna medicamentorum fieri opinemur, quae ſine medicamentis exſtiterunt, et quae ſine his medicamentis, quae adhibita ſunt, ſemper exſiſtent. Vtinam autem non tanta eſſet medicorum non admodum indoctorum frequentia, qui pro ratione auctoritatem ſequuntur, eamque ſolam ſaepe, id quod quam lubricum ſit, quam periculoſum, ea, quae ſubſequentur, luculenter demonſtrabunt. Maxime ſatisfactum iri mihi cenſeo, ſi quis vsquam, dum haec legit, ab erronea opinione, qua ductus medicamenta non nulla in efficacium ac praeſtantium numero habuit, conuictus deſciſcat; ſi quis vnquam in curandis morbis adhibendisque medendi remediis, quibus vires falſo ſaepe adfictae ſunt, cautior, et in cognoſcenda multorum medicamentorum origine, quam adhuc ignorabat, ſolertior euaſerit prudentiorque, ne palam ludibrio ſit et dignus, qui vapulet.

§. III.

Medicinae omnis in hoc poſita eſt ratio, vt morbos noſcat medicus, et auxilium ſcite in promtu habeat, quo et ſanitatem incorruptam tueri, et ſi laeſa fuerit, reddere aegrotis ac reſtituere certo valeat. Iam primum, quoniam cetera omnia certum conſtant, ſi cauſſa morbi et medicamentorum ſua cuiusque natura ſine vlla dubitatione pateant, vtriusque etiam prima eſſe cura debet. Medicamentorum alia aliis ad ſanitatem plus valent, alia minus. Intereſt medici caute dignoſcere, quo quisque morbus medicamine *et* omnino depellatur, *et* quibus medicamentis, quo minus ingraueſcat, impediatur, *et* quibus acerba ſymptomatum atrocitas leniri poſſit ac mitigari. Vim vero medicamentorum intelligendi viam ſternunt phyſica ars ac chemia: vſus atque experientia rudimenta ſubminiſtrant medicinae; quibus poſitis quo vberiora ſunt, quo digniora, quo veriora, eo exploratius, eo certius deinde mens intelligentis medici ab vſu cognitis adſcendet collatione rationis, dum medicamenti naturam ſciat et cauſſam curantem naturae inſitam. Inde facili negotio diiudicari poterit, quibus partibus remedium conſtet, et an ei reuera illa inſint, quae mutationis in corpore excitandae cauſſa ſunto, et quae originem morbi deſtruent. Quarum quidem rerum ſcientia vbi medicus deſtituitur, vanitati veritas, auctoritati ratio ipſa cedet; medicina vtetur a maioribus recepta, quae quid et qua ratione operetur, medicus ignorat, qui a naturae perſpicientia, a mixtionis ſcientia, CHEMIA, et a qualitatum corporis cuiusque intelligentia ſeu PHYSICA deſciuit; *officinalem*

eſſe

esse medicinam illi sat est, etiamsi ea in medicamentorum officina, seu potius taberna, nihil aliud praestent, quam vt thecae tabernae repleantur rebus, quae nullam nobis corpori medendi facultatem suppeditare valebunt.

§. IIII.

SED quo, quaeso, pacto insignis adeo medicamentorum copia tabernae tradita est, quum tamen nec vsu cognita sit medendi efficientia de iis vlla, nec ex principiis eluceat rationis? Hypotheses fuerunt, eaeque absonae saepius, quibus inducti veteres, qui in ignoratione versabantur chemiae, physicae et summatim philosophicae de re medica cognitionis, virtutem medicamenti multis rebus inesse crediderunt, quia similitudinem aliquam habebant cum partibus non nullis hominis. Ita pulmonibus conducere singula rati, lapides, herbas, aliaque, si modo colorem aut figuram repraesentarent pulmonis, vel si quasi spongiae similem raritatem haberent. Sed si et hodie pulmones vulpis vitulique in curanda phthisi, si corallinam seu marinum muscum imperet medicus quisquam, vt vermes necentur in intestinis nidulatos, quoniam ea vermium nido non absimilis est: hoc si videat intelligens, qui risum teneat? Inanium eorum medicamentorum adparatum, qui vel hodie in tabernis prostat, ordine subsequentia indicabunt: ortum cuiusque ego, vnde ad *officinalia* subinde relatum sit, a primo cuiusque fonte repetam; fontem, id est, praecipuas hypotheses veterum falsas lustrabo, quibus multa omnino futilia, tamquam medicamina fluxerunt. Haec quidem vt eo luculentius adpareant, primum de

natura medicamenti generatim, de medicamentis efficacibus et inefficacibus non nulla differere liceat.

§. V.

Vis vero medicamenti curationem efficiens omnis triplex eſt. Quae enim adhibetur medicina, quod poteſt, in corpore efficit, *aut* ſtatim *in primis viis* prius, quam ad maſſam veniat ſanguineam; *aut* non niſi in ſanguinem delata; *aut* in primis viis atque in ſanguine ſimul. Quod ad *illam* attinet, quae efficacitatem praeſertim in ventriculo habet atque inteſtinis; huius denuo alia atque alia cernitur eſſe cauſſa ſanandi. Sunt enim quae *vel* id, quod in ventriculo atque inteſtinis materia morbi eſt, ſorbent et quaſi hauriunt, hauſtumque inuoluunt, atque obtundunt, vt oleoſa itemque mucilaginoſa, et *quae* acidum *abſorbent* vel materiam acrem, cauſticam, rodentem; *vel* viſcidum, quod praeter naturam in corpore conglutinari coepit *reſoluunt*, vt *ſalia*, et medicamentum, quodcumque eſt, ſi ſale praeditum ſit acri, et mucum reſoluat glutinoſum; *vel* ventriculi atque inteſtinorum nerueas tunicas adficiunt, aliae magis, aliae minus, et ſic, abſorbendo fortaſſe, roborant. Cuius generis primum *analeptica* ſunt, quae modo accepta ſtatim teneriores corpore atque aetate reficiunt, deinde *roborantia*, quippe quae ventriculum atque inteſtina ad fortiorem contractionem ſtimulant, quo melior elaboretur chylus, adhaec *laxantia*, purgantia, emetica omnia atque venena, vtpote quae ſingula nerueam inteſtinorum ac ventriculi tunicam irritant, laceſſunt, dum ſpaſtica, immo conuulſiua etiam, ratione

con-

contrahantur, modo lenius quidem, modo fortiſſime. Quod ad medicamenta vero attinet, quorum efficientia non tam in primis viis atque inteſtinis eſt, quam in maſſa potius ſanguinea, in arteriis, itemque in iis partibus, ad quas per circulationem humorum transferuntur, harum natura ea ſit neceſſe eſt, vt partes, quibus conſtat medicamentum, ad hoc vel illud in corpore efficiendum vere valeant. Hoc an ita ſit, experientia docet chemica atque phyſica. Sed accedit huic, vt ratio quoque habeatur humorum in ipſo corpore humano, quibuscum miſcetur medicamentum, et per quos tranſit. Animaduertenda itaque eſt ſaliua, abs qua primum humectatur medicamentum; deinde, qui e ſanguine ventriculo adfunditur, liquor gaſtricus, porro, quem pancreas ſecernit, pancreaticus ſuccus, tum natura bilis, vtrum a ſingulis iſtis ſolui medicamentum poſſit, nec ne, vt tandem per lactea vaſa ad ſanguinem manet facilius. Miſta ſic medicina humoribus variis quae tunc efficere in corpore valebit? Num mutabit certo ſtatum corporis morboſum? Num reſtituet, quae deſideratur, partium vel ſolidarum vel fluidarum vel vtrarumque conditionem adeo, vt functiones laeſae ſuo iterum gaudeant vigore naturali? Vel, ſi etiam cauſſa morbi non penitus depelli poſſit, annon ſtatum, qui praeter naturam in corpore exſiſtit, medicamentum iſtud aliquo ſaltem modo ad naturalem conuertet? Minimum, nonne temperare ſaltem ſymptomatum ſeueritatem valebit? Hac quidem ratione medicina perpendenda eſt, quae ad curandum corpus quidquam valere dicitur. Medicamentum vero, quod quum in ſe

eas

eas continet partes, tum humoribus admiſtum noſtris tantum valet, vt ſanationem iuuet vere, EFFICAX eſt et *ſalutare*: INANE contra vocatur, quod in corpore nihil valet, quoniam vel diſſolui nequit ab humoribus corporis humani, vel in ſe nihil quidem continet, quod ſalutare ſit.

§. VII.

VENIO nunc ad hypotheſes veterum, quae innumerabilem genuerunt inanis medicinae multitudinem. Sed campus patet longe ampliſſimus, in quem excurrere poſſem, et de quo abſonas ſat multas opiniones poſſem recenſere, niſi limites ſcripti et temporis exiguitas prohiberent, quo minus in eo mihi diutius oberrare liceat. Non niſi praecipuas igitur exponam hypotheſes, quibus medicaminum larga copia adfictitias vires ſuas debere videntur. Ad has primo loco pertinet celebratus ille ab antiquiſſimis temporibus *ſtellarum influxus*, in primis planetarum. Nam in his quin maxima vis ſit ad complures res in tellure noſtra transformandas, veteres non dubitauerunt. A ſtellis corpora adfici opinabantur in regno vegetabilium, mineralium atque animantium, hinc in ipſius hominis corpus, conſtitutionem ac temperamentum agere planetas. Planetis ſingulis ſingulas hominis partes diſtribuerunt; ſuas cuique ſideri in hac tellure plantas, mineralia, corporis humani partes adſignauerunt, et, ſi aegrotaret pars quaepiam, medicina vtebantur ex tribus naturae regnis ſelecta ea, quae eidem planetae, abs qua pars ea patiebatur, ſubiecta erat. Corporis autem humani membra, viſcera, ceterasque partes ſtellis ſubiecerunt

cerunt ſequenti ratione. *Saturno* lien erat dicatus: *Ioui* iecur, quod quum viſcus eſſe ducerent elaborando perficiendoque ſanguini proprium, tota etiam ſanguinis maſſa data Ioui eſt. Adhaec in pulmones *Martem*; in oculos, in cor, in neruinos liquores *Solem*; in partes generationi inſeruientes *Venerem*; in linguam ventriculum atque inteſtina *Mercurium*; in cerebrum atque neruorum genus *Lunam* dominari crediderunt.

§. VII.

Hactenvs de partibus hominis: ad plantas progredior et mineralia. E plantis illas *Saturno* ſacras eſſe iuſſerunt, quae adſpectu ſibi horridae, odore ingratae, ſapore ſtypticae, colore nigrae, fuſcae, luridae eſſe videbantur, vel quae compacto corpore eſſent, quarum domicilium in locis eſſet vliginoſis, ſordidis, tenebricoſis, vel quae putridis tandem arboribus ſuccreſcerent. Cuius generis aconitum eſt, agnus caſtus, apium, aſplenium, atriplex, blitum, burſa paſtoris, capparis, cicuta, conſiligo, filix, helleborus, hyoſcyamus, polypodium, ſabina, ſalix, ſenna, ſolanum, tamariſcus, taxus, xanthium. Saturno ex regno mineralium *plumbum* erat ſacratum. *Ioui* vero plantas tradiderunt, in quibus ſuccus oleoſus abundaret, quae odoratui aeque ac guſtui gratae et dulces, colore florum rubro vel caeruleo eſſent, in locis natae pinguibus. Cuiusmodi ſunt amygdalus, balſamus, berberis, betonica, caryophyllata, caryophyllus hortenſius ac ſilueſtris, centaurium, chamaedrys, corallium, fumaria, lilium, olea, origanum, perſicaria, rhabar-

barbarum, ribes, rubia tinctorum, ſymphytum, teucrium, verbaſcum. *Marti* fuerunt herbae aſperiores et aculeatae, exedentes, colore aliquantum rubeſcentes, ſapore vrentes, quas loca gignunt ſicca, vt carduus, eſula, ononis, rhamnus, rubus et vrticae. *Solem* praeeſſe iis ſtatuebant, quae ſunt colore florum flauo vel aureo ſplendore, odore fragrantes, ſapore grato, et quae in ſole creſcunt meridiano, vbi ſolis radiis fruuntur libere. Ad harum claſſem retulerunt crocum, helenium, heliochryſum, hypericum, laurum, mala aurantia et citria, meliſſam, rorem marinum atque vinum. Soli ex mineralibus *aurum* conſecratum. *Veneri* deditae, quae flores habent coloris albi, odorem quaſi laſciuum, ſaporem dulciſſimum, folia glabra, non laciniata et humorem lentum. Quales flores ſubiecti ſunt: ficus, hyacinthus, lilium conuallium, lilia omnia, narciſſus, nymphaea, roſa et orchides. *Mercurium* imperare dixerunt plantis, quae coloris varii ſunt, odore vix notabili, quae ſiliquas habent, et in locis naſcuntur arenoſis: quales ex. gr. aquilegia, bellides, chamaemelum, corylus, fabae flore vario, iuglans, iuniperus, parietaria ſilueſtris, ſambucus et trifolia omnia. *Lunam* denique moderari putauerunt eas, quibus folia ſunt ſucculenta, craſſa et mollia, ſapore aqueo, ſubdulci, quae breui tempore excreſcunt, quarum patria loca aquatica ſunt ac paluſtria, vt allium, braſſica capitata, cepae, citrulli, cucumeres, cucurbita, fungi, lactuca, lens paluſtris, mandragora, melones, paeonia, papauer, potamogetum, porrum, ſagitta Herculis, aliaeque plantae aquaticae, et tilia.

§. VIII.

§. VIII.

Qvi factum vero, vt prisca gens delabi ad tam absona potuerit? Huius rei eadem ratio est, vnde omnis superstitio nata, superstes sanae rationi, quae bona mente a natura ipsa accepta posteritati commendauit ac tradidit, et ad modum quidem populorum orientis antiquissimorum omnium, sub emphatico symbolo, quo factum, vt pie recolerent posteri propagatam sibi memoriam praeceptorum, quae a maioribus acceperant. Similiter contigisse hac in re ego quidem arbitror. Hac enim ratione Chaldaei vniuersum caeli circulum in partes duodecim, tamquam totidem solis domicilia, diuiserunt, obseruatione ducti, quod, dum sol subinde per asterismos in caelo circumfertur, in quaque astri sede propriam quamdam efficientiam eius viderunt, quum in regno animantium, tum in plantis. Quo pacto facilius vitae negotia distribuere, et quid secundum diuersa caeli loca, quae sol transibat, vel in re rustica, vel in ampla sua pecuaria re, vel domi peragenda erant, cognita asterismi virtute, dignoscere potuerunt. Sol in *Ariete* arua nouis decorat et teneris herbis; suauissimum et optimum inde agnis pabulum primum sub tutela arietis pascua ingredientibus. Sol porro *Tauri* signum subinde occupans magis magisque herbescentem elicit viriditatem, abundat rus salutari agrestium herbarum copia, vitulis, qui tauri, patris, protectione gaudent, alendis adprime conuenienti. Sol denique vbi in zodiaco prope *Geminos* venit, virgultorum surculi longius progerminant, et natura nos admonet, nunc demum haedulos gemellos, qui

gemmas arbuſculorum morſu abrodere, et ſaliua ſua nociua ſurculi mortem inducere ſolent, ſiluis immittendos eſſe, vbi foliorum euolutorum amaritudo illos ramulis parcere et herbis veſci cogat. Sic primi ephemeridum conditores oeconomicarum, quoniam ignorabant ſolem interdum longius interdum propius a terra abeſſe, et modo directis modo obliquis radiis ſuis tellurem ferire, diuerſam hanc ſolis efficientiam, inſignia ea naturae beneficia a ſideribus, in eadem caeli plaga cum ſole verſantibus, pendere facile ſibi aliisque perſuaſerunt. Idem erraticis quoque ſtellis terrae vicinioribus tribuerunt. At enim vero quanta diſtantia aſtrorum a terra noſtra eſt? Num ſine vlla dubitatione defendere intelligens poterit, ſidera vim tantam habere cum luna noſtra in terreſtria corpora? Non eſt, quod in ſuperſtitioſa et abſona ſententia refutanda multam nauem operam. Hoc ſcimus, hypotheſin eam poſtea in re medica ignorantiae aſylum exſtitiſſe, quoniam ſcientia chemica carebant veteres, Phyſica atque Medicina ſtricte ſic dicta. His enim ſcientiis acceptum demum ferre debemus, quod multa in lucem vocata ſint, quae apud veteres latuerunt craſſis occultata et circumfuſa tenebris.

§. IX.

Non ita multo poſt his alia opinio acceſſit, quae *ſignaturarum* nomine inſignitur. Ita mihi vero veteres hac de re ratiocinati videntur: maxima in plantis figurae, florum, foliorum, fructus, coloris diuerſitas aperte cernitur; quo autem conſilio alio diuerſa adeo natura eſſe her-

herbas illas voluiſſet numen, niſi vt haberent homines, ex quo facili negotio dignoſcere poſſent, quae ſalutaris ſit planta, quae non, quas vires quaeque contineret in corpori medendo humano? Sed vnde hoc facilius cognoſci potuiſſet, niſi ex figura plantarum, quarum alia alia ſimilior corporis noſtri parti exſiſtit? Ergo, herbas deus, quae maximam cum parte hominis aegrotante ſimilitudinem haberent, remedium ad ſanitatem parti eidem eſſe voluit optimum.

§. X.

Ita *cordi* conducere ea viſum illis eſt, quae cordis figuram haberent, vel ſub Solis dominio eſſent. Atque haec ſine vlla dubitatione in melancholia, cordis palpitatione et ſyncope ſananda adhibuerunt; eadem illa cor roborare, exhilarare, laetificare et contra venena omnia munire rati. Huc retulerunt acetoſellam, anacardium, anthorae radices, aurum, calamintham, crocum, cydonia, granata, helenium, hypericum, laurum, maces, mala aurantia et citria, meliſſam, nardum, myrepſicam nucem atque vinum. In *capitis*, *cerebri* ac *neruorum* morbis ex. gr. epilepſia, medicina vſi ſunt, quae vel ſub imperio Lunae eſſet, quoniam luna alba plerumque eſt, vti cerebrum, vel quae capitis formam praeberet aliquam et ſpeciem. Haec ſunt ambra, argentum, corallia, pretioſi lapides, lunaria, margaritae, nymphaeae flores, paeoniae radices, ſemina ac flores, quae capitis habent formam ante, quam recluduntur, vt capita papaueris, ſpongiolae, quae in ramis roſae ſilueſtris reperiuntur, et ſuccinum.

Ex

Ex iis herbis, quae ſecundum hypotheſin Iouis et Mercurii ſunt, praecipue althaeam, botryn, ceruicariam, digitalem, marrubium album, pulmonariam arboream, pulmonariam maculoſam, rorem marinum, ſcabioſam, tuſſilaginem, verbaſcum, veronicam, *pulmonibus* medendi facultate praedita eſſe veteres exiſtimauerunt. Qua de cauſa? Pulmonibus ea non abſimilia eſſe perhibebant; color enim, figura, lanugo, qua veſtita cernerentur, vberior aeris in iſtis copia ad pulmonum naturam, lobos, veſiculas, cellulas et ſpongiae ſimilem raritatem in illis quam proxime accedere pulmonibus viſa ſunt.

Praeter ea allium, angelica, radix ari, caruum, cepae, chaerefolium, cuminum, leuiſticum, nux myriſtica, oſtrucium, paſtinaca, raphanus, ſcilla, ſeſeli, zingiber, quoniam ſingula haec ventriculi ſignatura conſpicua eſſe cenſebant, antiquis medicamenta pro *ventriculo* fuerunt.

Iecinoris curandi cauſſa iidem adhibuerunt aloen hepaticam, anchuſam, aſparagum, bellides, radices betae, borraginem, bugloſſam; hortenſium et ſilueſtrem caryophyllum, glycyrrhizam, hepaticam nobilem ac ſtellatam, lichenem, paſſulas, roſas rubras, rubiam tinctorum, trifolium aureum, cet., ſingula ex eadem ſcilicet ratione, quae fuit ſupra, quia iecoris ſpeciem atque colorem ea ipſis praebebant, vel quoniam Ioui erant et Marti dicata.

Tranſeo ad ea, quae *lienum* valetudini vindicauerunt, quoniam lienis quaſi formam reddere rebantur, et

ſub

ſub poteſtate eſſent Saturni, aſarum nimirum, aſplenium, helleborum nigrum, lapidem armenum, lapidem lazuli, polypodium quernum, ſennam, tamariſcum, trichomanes, tartarumque vini.

Alia *renibus* aequiparabant, et virilibus non diſſimilia eſſe, itidemque muliebribus reſpondere autumauerunt; quae e regno quum eſſent Veneris vel Martis, et cum renum, teſticulorum atque inguinum figura comparari facile paterentur, odoris inſuper ac ſaporis ſalacis eſſent, aduerſus renum et *genitalium* morbos adhibebant: et ſi quando deficeret ſemen, data ſunt radices ari, been album vel rubrum, bulbi, burſa paſtoris, radices cauae, craſſula, lilium album, moſchus, narciſſus, nux myrepſica, orchides, phaſeoli, radices polygonati, roſae albae, ſtruthium, zibethum. Contra ne luxuriaret libidinis aeſtus, egregia illis medicina ea erant, quae ſub ditionem ſubiunxerant Saturni et Lunae, camphora nimirum, nymphaea, vmbilicus Veneris, tribulusque aquaticus.

Ex eadem ſententia *veſicae* morbos depelli coniectauerunt iis rebus, quae Saturni ditionis et Lunae fuerunt, quae veſiculas habent et folliculos, in quibus ſemen vel liquor quispiam inſitus a natura eſt, vel quae a veſicae figura non admodum abhorrere videntur, et in locis naſcuntur humidis. Haec ſunt alkekengi, fructus aſparagi, folliculi ſennae, hypociſtis, melanthion, periclymenum, ſemen plantaginis, ſtaphylodendrum. Neque vero in *inteſtinorum* morbis deſunt, quae inteſtinorum ſignaturam prae ſe ferunt, quum rami non nullarum planta-

tarum e trunco ſurgant varie et longe lateque in ſe circumflexo: ecquis, quaeſo, eſt, qui hoc non videat in amara dulci, in cuſcuta, in hedera, in lupulo, in oenanthe, in rubo Idaeo et vulgari, in ſarſaparilla, in vite nigra, in vitis viniferae capreolis, in volubili, cet.?

Aetites, alborum liliorum antherae et flores, antherae roſarum, ariſtolochiae longae flores, et ariſtolochiae rotundae radices, aſarum, bryonia, calamintha, cruciata, digitalis, meliſſa, meum, primulae veris flores, propter vteri ſignaturam, et quia e Veneris, Lunae, et Saturni ditione ſunt, ſingula ſingulos *vteri* adfectus curare dicuntur. Quoniam autem non nulla etiam menſtruae purgationis ſignaturam peculiariter referre videntur, videlicet quae animalium modo exhalant plantae, ex quarum turgeſcentibus fiſtulis vtriculisque plurimum ſuperuacui humoris, quem receperunt, in ſuccum cogitur, et in rotunditatem ſubinde conſtringitur, vnde aſa foetida, myrrha, opopanax, et ſagapenum ſunt; haec praecipue in ſuppreſſa *menſtrui ſanguinis* excretione probata eſſe videbantur.

Ad *oculorum* valetudinem ſanandam adhibuit priſca aetas, quae ſub Solis imperio poſita erant, quae oculorum ſignaturam habebant, quae luminoſa erant ac radiis ſplendeſcebant, immo vero quae oculos colore ſuo reficiebant, viſui grata atque oblectamento, aurum videlicet, anſerinam, buphthalmum, calendulam, chamaemelum, chelidonium, crocum, cyani flores, delphinium, euphraſiam, helenium, heliotropium, hypericum, vuam lupinam, ſapphirum, flores tiliae.

Con-

Contra *aurium* morbis mederi ea credebant, quae aurium ſignatura notata celebrantur. Sic auricula muris vermes in aure enecare dicitur; cyclaminis folia atque radices tinnitum aurium et ſurditatem tollere; aſari foliis audiendi ſenſus acutior reddi, quo et vis cerebri augeretur.

Quam praeſens contra *linguae* incommoda medicamentum praeſtabunt, quae inſtar linguae hominis a natura formata videmus, bugloſſum, cynogloſſum, lingua auis, et lingua ceruina?

Sed ad *dentes*; quorum figuram in compluribus naturae rebus qui non videat, leberide caecior ſit neceſſe eſt. Hyoſcyami ſeminum folliculi nonne inſtar dentium molarium ſunt? Hinc dentium etiam dolores caſtigant. Filicis radices, quae, veluti ſquamae, in ſe inuicem obductae cernuntur, nonne quaſi dentes ſunt? Item granatorum ſemina et piceae nuclei? Sed omnia haec dentium dolores leniunt, et ex ſcorbuto mobiles firmant.

Ita priſca aetas de iis, quae ad ſanandum corpus facerent. Quid mirum, ſi in *tremore manuum*, in *chiragrae* ac *podagrae* cruciatu ea tempeſtiua eſſe duxerint, quibus manuum pedumue ſignatura inſcripta eſt, quam in alchimilla, in hermodactylo, in palma Chriſti, in ricino, ſanicula cet. videmus?

Capillorum adhaec defluuio, aliisque eorum morbis ea oppoſuerunt, quae capillos referunt, abrotanum nimirum, capillum Veneris, muſcum arboreum, muſcum capillarem, omnes radiculas capillares, rorem ſolis, ſpongiolas, quae cynorrhodi ramis adnaſcuntur, ver-

 baſcum

bascum lanuginosum, vitem viniferam, si in cinerem cremata fuerit, e cuius lixiuio medicamen faciebant, crispandi crinis caussa, cirris moti, qui in vinifera vite crispae comae instar cernuntur, et quibus vitis facile iugata reddi et adligari rebus potest circumstantibus. Bardanam autem et capillo copiam et longitudinem conciliare dixerunt. Haec de coma.

Quod ad *sanguinem* attinet, sanguinis; signatura nuncupantur flores aliaque coloris rubri, anagallis, borrago, buglossum, digitalis, fumaria, glycyrrhiza, paeonia, persicaria, rosae rubrae, satirium rubrum., flores tunicae, atque violae purpureae. Singula ea in primis in absoluenda noui sanguinis confectione, si quando nimium quantum sanguinis morbo quopiam amissum esset, plurimum posse crediderunt.

Eadem ratione ducti in corrigendo imminuendoque sanguine, vbi redundabat, nominatimque superuacuum ad vrinam deuehendum praestantissima duxerunt esse anchusam et rubiam tinctorum. Porro in haemorrhagia restinguenda medicinalia iisdem fuerunt acetosa, bistorta, bolus armena, corallia rubra, geranium radice rubra, haematites, hyacinthus, iaspis rubicunda, lapathum acutum, rosa rubra, sanguis draconis, santalum rubrum, sarda, quam et carneolum vocant, tormentilla.

Bilis non nunquam redundat in corpore et deprauata est, hinc complures morbi, in quibus depellendis medicamentum facile repertu est. Bilis est colore flauo. Seligantur itaque medicamina, quorum color bili respondet,

det, id quod in agrimonia, in caryophyllata, in centaurio minori et maiori, in chamaepity, in floribus cheiri, in maiori minorique chelidonio, in croco, radicibus curcumae, in eupatorio, in malo citrio, in myrobalano citrino, in rhabarbaro inuenire ſibi videbantur. Similiter in morbis, qui ex atra bile, ex melancholico humore ortum trahunt, ea adhibebant, quae melancholici humoris ſignaturam referunt, atro vel fuſco colore conſpiciuntur, et ſapore acerba ſunt atque ſtyptica, non nihil etiam dulceſcentia. Haec ſunt aſarum, bryonia, capparis, helleborus niger, filix, polypodium, ruſcus, ſenna, tamariſcus et vitis nigra.

Contra *pituitam* vel phlegma morbiferum, ex quo aegrotare non nunquam homines aiebant, e Lunae regno atriplicem, colocynthidem, cucumerem aſinium, cucumeresque ſatiuos, cucurbitas atque mercurialem, quae in primis ventriculum pariter ac cerebrum a pituita purgarent, parauerunt.

Quoniam multa ipſis animalium venenatorum ſpeciem repraeſentare videbantur, haec, tamquam beſtiarum earum morſu vulneratos certo ſanarent, adhibuerunt. Quae ſunt aconitum, pardalianches, allium colubrinum, anagallis, qua in primis *morſum canis rabidi* ſanare ſtudebant; ariſtolochia longa, chondrilla, doronicum, dracunculus maior, echium, galega, heliotropii maioris flores, ocymaſtrum, ophiogloſſum, orchis μυώδης, qua vulnuſcula ex *apium* aculeo accepta medicabantur. Pſyllii ſemina ad *pulices* fugandos ſparſerunt. Scorpioidum varia genera ſunt, quae ipſis ſingula quaſi cau-

da eſſe ſcorpionis videbantur: atque his ideo *ſcorpionum plagis* medicaturi frequenter vſi ſunt. Scorzonera et ſerpentaria *ictus* curabant *ſerpentum.*

Acutos *dolorum* cruciatus, *qui, quaſi acubus pungatur*, angunt, mitigatos rebus voluerunt, quae quaſi aculeatae adparent, vt plantae quaedam et dentes animantium, dentes apri atque hippopotami, mandibulae lucii piſcis, ſemina cardui Mariae, itemque cardui Benedicti, eryngium, atque iuniperus.

Acerbis *calculorum doloribus* iis rebus ſuccurrere occoeperunt, in quibus lapillorum ſimilitudinem aliquam videbant. Eiusmodi ſignatura inſcripta ſunt, acaciae nuclei acini in cynosbatorum baccis contenti, dactylorum nuclei, filipendula, lapis bufonis, lapides cancrorum, lapis iudaicus, lapis lyncis, lapis nephriticus, percarum lapis, lapis ſpongiae, milii ſolis ſemina, radices ſaxifragiae albae et rubrae.

Vulnera generatim curare tentauerunt agrimonia, balſamina femina, betonica, conſolida ſacracenica, geranio, hyperico, lunaria minore, millefolio, perfoliata, ſanicula, ſerratula, ſecuridaca, quippe cuius ſiliquae militaris ſecuris ſimulacrum praebere videntur, tandemque verbena. Nam ea ſingula vel perforata ſunt, vel ſerrae ſecurique conſimilia diſtincte adparent.

Quae gummi fundunt et reſinam, in quem alium vitae vſum propagantur, niſi monſtrare nobis ea, priſca inquit aetas, remedia deus iuſſiſſet, quae *vulneri conſolidando* adprime conueniunt? In quam quidem rem aloen datam nobis videmus, althaeam, conſolidam maiorem,

coro-

coronam ſolis, fabariam, gummi elemi, maluam, maſtichen, myrrham, nicotianam, ſanguinem draconis, ſarcocollam, terebinthinam, thus atque viſcum.

Plantae, quae nodoſis radicibus in terra reperiuntur, ſine vlla dubitatione hortari nos videntur, ſe *in tumoribus* atque tuberculis in primis eſſe ſalutares. Adhibeantur itaque in ſanandis illis agaricus, allium, radices ari, radices aſphodeli, cepae, chelidonium minus, alborumque liliorum radices, ranunculi bulboſi, ſcrophularia, et in primis ſpongia combuſta, quae et ſtrumas aufert.

Tandem *exanthemata* et ſcabiei genus, quodcumque cutem tentat, quam ob rem non conſaneſcere poſſent, ſi herbae adhibeantur maculoſae et ſquamoſae, vt aſplenium, filix, lingua ceruina, oxylapathum, polypodium, ſabina, ſcabioſa, ſcrophularia atque ſucciſa?

§. XI.

Haectenvs lepidae veterum opinionis, quae a ſignaturis nomen traxit, hiſtorica enarratio, quam paullo vberius dedi, vt non nulli noſtrae aetatis medici, ſi qui eiusmodi priſci aeui medicamentorum indicem nondum conſpexerint, eo facilius de origine quam plurimorum medicamentorum, quae in tabernis noſtris adhuc adſeruantur, iudicare poſſint. Ceterum conf. locupletia de his sennerti ſcripta medica. Sed ſi priſca illa ſententia ſubtilius diſquiratur, ſi a rationis luce colluſtretur, quid de ea ſentiendum? Omnia in hac, quae antiquis medicis multum adriſit, hypotheſi eo redeunt: herbae, mineralia, corporisque animantium partes ad ſanationem quidquam

conferre valent ob ſimilitudinem, quam habent cum parte corporis humani curanda. Haec quidem ſigna deus ipſe rebus indidit, vt eo facilius cognoſcere homo poſſet, quibus ſemper morbis ſubuenire ſalutariter debeat. At vero, qua, quaeſo, ratione de iſto ſupremi numinis conſilio perſuaſi ſimus, num verum ſit iſtud, an fictum et commentitium? Num ex reuelatione forſitan diuina arcana? Nam natura, ſeu naturalis reuelatio numinis, prohibet, quo minus puerilia ea ſimulacra placere ſapienti medico poſſint. Complura ex medicamentis memoratis et ratio, quae ea phyſica ac chemica arte explorauit, et vſus frequens iam dudum reiecerunt, quum quid poſſint funeſta ſaepe experientia docuit. Itaque nec herba, neque vero alia res, nec *quia*, nec *quatenus* ſignatura eminet, ſine vlteriori diſquiſitione adhibenda eſt. Summatim ſignatura, vel ſimilitudo, etiamſi maxima adfuerit, minime ratio ſit, cur medicina pro efficaci habeatur. Eiusmodi principium, quale ſignatura vel ſola ſimilitudo eſt, ab vniuerſa rerum natura, et ab ordine atque ratione ea abhorret quam maxime, cui conuenienter res a deo creatas eſſe, easdemque a numine gubernari videmus. In animantibus, quae rationis atque intelligentiae expertes ſunt, quo infirmiores et minores exſiſtunt, eo plures inſtinctus, eo potiores ſtimulos naturae earum inſitos deprehendemus, quibus illas natura ducit, vt ſe, vitam corpusque tueantur, dignoſcantque ac declinent ea, quae nocitura videantur, et omnia, quae ad viuendum ſanandumque ſint neceſſaria, inquirant et parent. Contra ea homo prae ceteris omnibus animantibus ſtimulos

habet

habet atque inſtinctus pauciſſimos: ratione eum excellere atque intelligentiae viribus ſupremus rerum arbiter voluit. Itaque et medicus ſumma ope niti debet, et in hoc quoque ſeſe praeſtare ſtudeat ceteris animalibus: ratione vtatur ſana atque intellectus ſui intenti lumine haud ſignaturae nugis, immo vero in re eo grauiori, quo ſaepius anceps eſt ac lubrica, qualis vita hominis ſunt atque ſanitas, inertiam ingenii luſuum et phlegma fugiat meditationis. Mens medici atque intelligentia infixae ſint in naturam medicaminis pariter atque in cauſſas morbi; anquirat medicus, prouideat, caueat, et alacri ac promto animo perſpiciendi ſciendique naturam rerum ſolertia, cum oblectatione ſolertiae, ducatur. Quodſi vero ordo, quem recenſui, medicamentorum vel multa complectatur, quae omnino probata ſunt ac ſalutaria; haec tamen non in omnibus morbis, quibus ex ſignaturae principiis mederi putantur, adhiberi poſſunt, quia morborum cauſſae diuerſae ſunt, et pro earum diuerſitate, diuerſis quoque remediis vti debemus.

§. XII.

Qvem ad modvm ſub rationis luce verum omne coniunctum vero ac copulatum cum enunciato rationis alio eſſe cernimus: ita in errorum quoque tenebris omnes inter ſe catenati ſunt, et ex alio alius naſcitur error recens, idemtidemque oborietur nouus. Quid mirum, ſi priſca medicorum opinio de efficacitate, quam in tellure noſtra haberent ſidera, aliam ſubornauerit opinioonem a medicis effingendam? Atque ita eſt, aliam illa

pepe-

peperit, quae quidem inde nata videtur, quia ſuperior hypotheſis in vſu medicos ſaepius fefellit, vt, ſi herba, quam ſecundum ſiderum efficientiam rite elegerant, contrarium produceret effectum, non iuſto tempore plantam illam collectam eſſe cauſſarentur. Itaque plantis colligendis ſuum cuique tempus adſignauerunt. Sed in hoc non ratio habita eſt naturae, verum ſyſtematis ſui de vi ſtellarum in hanc terram. Colligendas plantas pro diuerſo ſiderum adſpectu ac poſitu eſſe duxerunt. Sub alia enim caeli viciſſitudine vires eiusdem plantae minus efficaces eſſe, quae contra forent ſub alia longe efficaciſſimae. Sic paeoniam non niſi menſe Iulio, ſolis die, quum ſol in Leone eſſet, carpi iuſſerunt, quoniam alio die lecta vel non admodum vel plane nihil ad corporis ſanationem valeret. Hinc ſi in vſu, quod ſperabant, non efficeret paeonia, facile excuſationi locus fuit, quum iuſto eam tempore carptam eſſe negarent. Idem de alyſſo inuenimus ab ipſo Galeno mirifice praedicato contra virus, quod canis rabidi morſus corpori infecerat. Nam ſi hoc ex inſperato non ad ſalutem conuertiſſet, quem canis rabies mordicus adripuerat, itidem non iuſto iſtud tempore repertum eſſe cauſſati medici ſunt. Namque alyſſum non niſi aeſtuoſiſſimis circa Canis ortum diebus putabant conquirendum. Verbenas Romani aduerſus incantamenta e re eſſe crediderunt, at non niſi iuſto tempore lectas. Haec quidem herbas tempeſtiue colligendi apud veteres ratio fuit. Sed nonne etiam haec aſylum ignorantiae? Quid enim ſtellarum poſitus ad plantas carpendas? Conſtat inter nos, quando radix, quando herba, quando flores

flores, quando cortex legenda ſit, verum enim vero ex principiis rationi conſentaneis. Radices prius, quam planta in herba eſt, ſeu veris tempeſtate eruendas cenſemus: herbas ante germinationem, ſerena tempeſtate et ſicca: *flores* quum dehiſcunt: *ſemina*, vbi permatuerunt et ſicca ſunt: *cortices* denique poſt, quam fiſtulae in arbore ſuccum ſuum abunde receperunt.

§. XIII.

PROGREDIOR ad eas, quae vel adhuc inter medicorum vulgus celebratae feruntur *antipathiae* ac *ſympathiae* in medicina vires, quae, miſſa doctrina veterum de occultis rerum qualitatibus, cui tamen quaſi incunabula ſua debent, non nullis adhuc placere demum videntur. De his quidem auctor KENELMVS DIGBAEVS fuit ſatis celebris. His vero de viribus omnino eſſe equidem exiſtimo, quod non nulla addam, quo rationes luculentius pateant, ex quibus, quare curatio non nulla, quae ſympathetica nominatur, profuiſſe creditur, explicatum enodatiorem habent non admodum difficilem.

Relinquendum vero antipathiae pariter atque ſympathiae in medicina locum eſſe, inſigni documento *amuleta* exſtare aiunt. Quaſi vero hoc, ſi quando fortuito contigerit, non horrori potius ac deteſtationi tribuendum ſit, quae morbo detentum vehementer concutit, vnde ſanatur. Idem enim in haemorrhagia videmus, quae non nunquam ſtatim ſubſtitit, exſiccato bufone vel ſub axilla collocato, vel in manus dato cruentius exſcreantis, qui eum tantiſper dextra laeuaue tenebat, dum incaleſce-

ret bufo. Sed ſingula ea ex horrore ſcitius explicatum habent, quia plerique hominum bufones mirum in modum auerſantur. Ab horrore enim, praecipue vehementiori et continuato, facile ſpaſmi oboriuntur, qui ſanguinis profluuium compeſcere valent. Nolim autem temere quemquam induci, vt hoc conſilio amuleto vtatur abominando bufonis. Namque quam frequens interdum haemorrhagia ab ipſis proficiſcatur ſpaſmis, quis eſt, qui neſciat? Nonne eo conſilio cauſſa mali amplificaretur? Nonne hinc auctis ſpaſmis cruentior exſecreatio violentiorque certe redderetur.

Interim vero alia argumenta in promtu habent adſertores curationis ſympatheticae, quibus ſympathiae et antipathiae locum adhuc dandum eſſe aiunt, et enunciatum tritum illud, *dari actionem in diſtans*, comprobari praedicant.

Primo argumento *feles* eſſe putant; quippe inter quas atque homines non nullos, praeſertim feminas, maxima conſpicua ſit antipathia. Sunt fere homines, qui tacito, ſed incredibili in feles odio feruntur, et qui conſpecta fele, terroribus vexantur horrendis, quid? quod, ſi vel clam in ciſta quadam felis recondita ſit, quam nec videt, neque audit, nec quod adſit ſcit eiusmodi homo, ſimul atque tamen cubiculum intrat, in quo poſita eſt ciſta ea, in horrorem illico, nauſeam, timorem, angorem ac maximos cruciatus coniicitur, quae non nunquam ſubſequitur animi defectio, abs qua non prius reficitur, quam remota ſit felis, cuius praeſentiam, ſi vel inſcio illo adſit, nec ferre, nec pati vllo modo

poteſt.

poteſt. Concedo haec vere contigiſſe: ſed quaenam phaenomeni huius eſt vera cauſſa? Num occulta qualitas, qualis eſt antipathia, vel idioſyncraſia? Nullam inuenit cauſſam, qui ad abſtruſas rerum qualitates confugiens aut antipathiam aut idioſyncraſiam reperit. Qui ſana mente eſt, num aſyla petet ignorantiae, ſi cauſſa adſit ex rerum natura? Age propius conſideremus feles, itemque homines vehementer adeo felem auerſatos. Humores eos, quos omnis animans exhalat, e felibus et copioſius effluere, et odorem incendere grauiorem deterioremque, quam tranſpiratio in ceteris animantibus, diligentia in primis celeberrimi BOERHAVII cognitum habemus, qui quanta ſit felium prae canibus odorifera exhalatio, ad quam procliuiores ſunt, experimento comprobauit.* Praeterea ſudor ille magnam vaporoſae et ſulphureae exhalationis copiam continet, quam vis electrica frictione elicita aperte comprobat. Fac iam homines coram eſſe, quorum papillas nerueas in ſuperioribus narium partibus ſolito ſubtiliores res odoriferae quaeque facillima ratione feriunt, quam facile erit, quae omnium neruorum per totum corpus eſt conſenſio; in ſyſtema neruorum ſpaſticas multas redundare ſtricturas? In eiusmodi enim hominibus a leuiſſima ſaepe cauſſa irritatio facile exſiſtit, ac per vniuerſam corporis machinam propagatur longe maxima. Quam varii vero ſpaſtici adfectus, quanta anxietas, immo animi ſaepe defectio in iis ſuboriri inde poſſunt? Quae quidem rei ratio ex hoc quoque potiſſimum confirmatur, quia non ex felium ſolum exhalatione, verum ex aliis etiam rebus, quae odoratio-

D 2 nem

* *In Element. Chem. Tom. I. p. CCXXXVII.*

nem efficiunt fragrantem, vt ex ambrae, moſchi et violarum acerbo odore ſpaſmis facile conflictantur eiusmodi homines vehementioribus: quum contra alii, quoniam nerui ipſis minus irritabiles ſunt, odorem earum rerum ſine vlla offenſione ſuſtinere videantur; videantur, inquam, nam vbi nimis ex iis rebus effunduntur odoriferae particulae, et per liberum aerem volitantes tandem naribus horum copioſius ſeſe inſinuant, exitioſae ſunt hominibus fere omnibus, propter ſulphur ſuum vaporoſum, quo abundant, et quod primum quidem neruos exagitat, vnde ſenſationes grate clareſcunt, atque alacris homo hilarisque redditur, at non ita multo poſt neruinos ſpiritus corrumpit atque adeo diſſipat, vt obtuſus capitis dolor et mortifer interdum ſopor ſubſequantur.

Deinde magno documento eſſe ferunt venenum animalium non nullorum, quo mordicus corpus infectum eſt: nam viro virus partibus eorundem animantium extrahi e corpore optime poſſe creditur. Venenum ſcilicet ſcorpii ictu corpori immiſſum complures depellere tentant, ſcorpio: ſimiliter in morſu viperino viperae caput contuſum extrinſecus in vulnere adhibuerunt. Sed quis eſt, cui ex hiſtoria naturae non ſit cognitum, quod in capite viperae virus lateat, nominatim in maxillae vtriculis reconditum, quod contrito capite certiſſime exprometur, et ſic in vulnus deuehetur, ſi vel nondum infectum viperae veneno, vel parum adhuc fuerit. Atque in rabidi canis morſu vel iecur eiusdem canis aſſum exedendum miſere vulnerato praebuerunt, vel pilos eius canis vulneri impoſuerunt. Cuius autem furentis remedii,

dii anſam quid, quaeſo, aliud dedit, niſi abiecta illa de ſympathia et antipathia opinio? Canis rabidi pilos vulneri imponere non hominis ſanae mentis dici facinus poterit, verum foediſſimum, nefandum, perniciosiſſimumque. Fac enim vel minimam ſaliuae canis particulam pilo adhaereſcere adhuc, homo in hydrophobiam incidet certiſſime, cuius rei magnum exemplum memoriaque digniſſimum a FABRICIO AB AQVAPENDENTE relatum legimus. * Feminae cuidam a cane rabido veſtis erat dilacerata, cuius ſciſſuras quum ipſa conſueret, filum forte, quo modo ſuturam abſoluerat, dentibus disrumpit; eam menſium trium interuallo hydrophobia abſumſit. Quum itaque hydrophobiam tantilla ſaliuae pars inducere potuerit, certe, vbi pili ſaliua fortaſſe canis imbuti vulneri adplicantur, is morbus aut ſtatim ſubſequetur, aut verendum ſaltem, ne in eumdem vulneratus aliquando delabatur. Impetrare a me quidem nullo pacto poſſem, vt incurioſus diſcriminis, in quod aeger adducetur, eiusmodi medicamenti vſum permitterem, falſo opinans, aegrotum remedio iſto non periclitari, quoniam ad complurium aliorum ſanationem valuiſſe videtur. Quod enim non ſtatim accidit, certe tamen conſequetur, ſi quando venenum, quod in corpore reſidet, vehementiori corporis commotione exagitetur, et inuolucro quaſi ſuo detritum infelici curſu in arterias deuehatur, atque in omnes partes corporis diſtribuatur. Hydrophobia ſatis longo annorum interuallo poſt non nunquam opprimit

* *Obſeruat. Chirurg. Cent. I. N. LXXXVI.*

mit homines, vbi oblata occaſione in corpore graſſari demum latens virus coepit. De qua re varia exempla in ILLVSTRISSIMI Viri de SVITEN *Commentario in* BOERHAVII *Aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis* relata legimus. *

Tum ſympatheticas curationes comprobare ſtudent *emplaſtro*, quod carpo manus imponitur, quippe cui vis inſit praepotens ad febres, quae intermittunt, tollendas. Id quod argumenti ſpeciem habere potiorem videtur, quum celeberrimi medici et ipſe HOFFMANNVS eiusmodi emplaſtra epicarpica commendent *, et quia rationem reddunt, cur iſta ſanent. Namque emplaſtrum iſtud manibus adplicatum vniuerſum vaſorum ſyſtema, inquiunt, ſtimulat, vt ſolito fortius contrahatur: ex quo vno febris impetu, quo maior eſt, materia morbi diſcutitur ſalutariter, citiusque eliminatur. Sed abſit omnis in eruenda huius rei cauſſa error! Inquirendum itaque eſt in curationem ante impoſitum emplaſtrum adhibitam. Quodſi enim antea febris ſubmouendae cauſſa medicina data fuerit, quid cauſſemur, tantam vim eſſe emplaſtro, quum naturalis eluceat ratio, quare diſceſſerit febris? Et ſi vel medicum non conſuluerint aegroti, forte tamen, id quod in multitudine vbique gentium fieri plerumque adſolet, febrem abacturi remediis vſi ſunt vulgi. Etiam atque etiam caueat medicus, ne, vbi cauſſa conſtare certo debet, hallucinetur. Atque ſi dicto

* Vid. *eiusdem Med. Syſtem. Rat. Tom. IIII. Part. I. Sect. I. Cap. II.*

* *Tom. III. pag. DXXXXVI.* et ſeqq.

dicto ſubtilius diſquiratur memorata febrem corpore deducendi ratio, qui fieri poterit, vt tale emplaſtrum, cuius baſis, quem ad modum medici loquuntur, plerumque irritantia nulla, verum vel ſcorpii ſunt, vel araneae, atque aranearum tela, vt iſtud, inquam, per cutem, perque cuticulam atque adipalem tunicam penetrare in arterias valeat, quae intus ſubter toroſam brachii partem poſitae ſunt? Sed finge etiam hoc impoſſibile non eſſe, qua ratione tantam vaſorum contractionem efficiet? Certe, haec mihi quidem cum ratione pugnare videntur. Quod autem aeſtus febris euadat vehementior, id quidem emplaſtro vindicari minime poſſe videtur, quum certior eius conſtet cauſſa, deteſtatio videlicet animalium iſtorum in plerisque hominum. Quid enim animi pathemata, eaque prae medicina etiam, in corpore posſint, res eſt omnium notiſſima. Accedit, quod aliae inſuper cauſſae, praecipue vero mutatio aeris ad ſanandam depellendamque febrim, quae intermittit, valeant plurimum. Veris tempeſtate febris, qua per totum hiemis interuallum miſere iactatus eſt aegrotans, per ſe tandem facile decedit. Namque verno tempore frigidus aer atque humidus cum alio, eoque calidiore commutatur, cuius ope in extremis corporis partibus tranſpirationis expeditiores patent exitus, atque ramuli vaſorum minutiſſimi idonei redduntur deducendae ſubinde a vaſculis atque viſceribus detritae morbi materiae.

Mirum in modum porro in inhibenda narium haemorrhagia *puluis* ille celebratur KENELMI DIGBAEI, quem *ſympatheticum* vocant. Cuius quidem pulueris ea

eſt

eſt conditio, vt, ſi ſubter naſum, ex quo erumpit ſanguis, ita porrigatur, vt ſanginis guttulae aliquot decidere in puluerem poſſint, confeſtim ſubſiſtat ſanguis. Effectus huius ſua conſtat veritas: id autem cum effectu non aeque conſtare videtur, vtrum cauſſa phaenomeni in abſtruſa neſcio qua ſympathia quaerenda ſit, an vero in ipſa eius pulueris natura lateat. Iſte vero puluis e vitriolo viridi compoſitus eſt, et gummi tragacantha. Haec in ſole exponantur, quum is in Leonis aſteriſmo verſatur, vt ſicceſcat et a radiis ſolis calcinetur. Quo facto in puluerem conteratur tantiſper, dum multo fiat ſubtiliſſimus. Tandem hic diligenter conſeruetur in capſula. Vitriolum, quo conſtat, maiorem in modum ſtypticum eſt. Simul igitur ac pyxis ſubter naſum aperitur, puluis ſtatim ſpiritu attractus in nares manantem ſanguinem coagulandi, atque per ſe vaſcula coarctandi facultatem habet. Itaque cauſſa naturali reperta, quid obſcuris opus eſt ſympathiae viribus? Sed altius laudatur iſte puluis: vulnera quoque ſanare dicitur, idque, niſi ex vi ſympathetica, explicari non poſſe. Minime enim ad ipſum vulnus addi puluerem; dum modo ea pars enſis, ſeu ferri, quae vulnerauit, puluere conſpergatur, ſponte vulnus emplaſtro nullo, nulla adhibita medicina, conſolidari. Cuſtodiendum tantum vulnus monent, ne aeris vi exſiccetur, et vt, dum crudum eſt ac patet, liberum ab immunditiis ſit. Quaſi vero non vulnus omne recens et leue ſanaretur, nullo emplaſtro impoſito, remotis ſemper conſolidandi remoris, quarum maxime praecipuae ſordes ſunt atque exſiccatio ab aere? Ipſi enim em-

emplaſtri vtilitas alia non eſt, niſi vt tegat vulnus, et a ſpurcis incolume atque ab aere tueatur, itemque nouae carnis, fibrae per naturam recens accedenti, ocius accreſcentis mollitudo conſeruetur ampliusque concilietur? Haec ſine vllo ſympathetici pulueris auxilio contingunt. Si quis ergo contendat, puluerem iſtum curandi cauſſam eſſe, errat.

Pro argumento tandem *emplaſtrum* proferunt *magneticum*, cui quidem vis ineſſe tanta creditur, vt, ſi quis vel cultrum deglutiuerit nec opinato a gula in ventriculum propulſum, emplaſtrum hoc corpori ventriculum verſus impoſitum e ventriculo per muſculos atque cutem ſuppurationis ope cultrum ad ſe rapiat, et miſerum hoc pacto e faucibus mortis feliciter eripiat. Hactenus de virtute emplaſtri huius, quam praedicant. Sed rem propius conſiderantibus, neque phyſicae ſcientiae ignaris, facile eluceſcet, magnetem pulueratum et pingui humido illitum vim omnem amiſiſſe, qua ferrum alias adlicere ad ſe et trahere videmus. Quod vero vtrumque in laudato emplaſtro contra eſſe ponitur: namque et in puluerem redigatur antea magnes, et pinguedini admiſtus in emplaſtri formam abeat oportet. Ex quo aperte ſequitur, nugas eſſe, quae ſummis vſpiam laudibus elata eſt atque commendata, magnetis in emplaſtro virtutem.

§. XIV.

Non poſſum, quin etiam eius, cuius HELMONTIVS auctor eſt, opinionis mentionem iniiciam. Placuit ei, praeter multa alia paradoxa, principium in corpore hominis inauditum atque nouum ponere, quod ex ſenten-

tia eius principium animans eſt, princeps cauſſa, quae in corpore eueniunt omnium, cuius proprium quaſi domicilium in corde eſſet, ὑποϛασις ſua ſponte agens et ſenſu praedita voluptatis, irae, odii, timoris, alacritatis cet. Archaeum adpellabat. Cetera, quae corpus adficiunt, ſingula ex hac primaria cauſſa deducebat: medicamenta, cibum, potum, aerem cet. per ſe quidquam in corpore valere negabat, ſaltem ea nihil aliud efficere ratus, niſi vt Archaeum ſuum vel conciliarent, lenirent, vel ad iram acuerent, vel in metum iniicerent atque formidinem improuiſam. Hinc variam eſſe dixit, quae corpori contingeret, valetudinem, prout aut alacer, laetus atque propitius, aut triſtis atque offenſus eſſet Archaeus noſter. Quod ſi itaque quis in morbum incidiſſet, cauſſa repertu facillima erat, Archaeus ſtomachabatur, isque pro varia morborum grauitate magis vel minus indignabundus. Facile etiam fuit inuentu medicamen; frangendus ſcilicet exardens Archaei furor, et dandum non nihil moroſo, anxio atque difficili Archaeo, quod gratum ac volupe ipſi eſſet, quod perturbationem efferueſcentis ſedaret, quod irae pertinaciam ſubinde leniret. Optimum hac in re remedium eſſe arbitrati ſunt, *cruoris* adſpectum, ſeu rubrae ſanguinis materiae colorem purpureum, quia Archaeus in corde eſſet, vbi non poſſet non materia illa atque colore delectari. Atque adeo, tamquam infantem, Archaeum habeamus, amicitiam eius ac caritatem ſequamur neceſſe eſt, eique res praebeamus, quae ipſi oblectamento ſunt. Propter ea non niſi medicamenta, quae rubro colore abundant, adhibenda

da esse videntur. Hac ratione morbo, quo aeger laborat, liberabitur certissime. Sed quis, quaeso, qui hoc medicinae fundamentum non rideat medicus? Attamen non desunt, quibus paradoxa HELMONTII sententia ea admodum placuit, viri praeclari et in re litteraria celebres. Sapiens alioquin ANDREAS RVDIGERVS idem illud placitum non modo amplificauit, sed etiam e re medica in philosophiam transtulit. Atque, vt alios taceam, nostra etiam aetas non ad modum paucos videt, qui, etsi praemissas HELMONTII reiiciant, conclusionem tamen non aeque improbant, quum medicamentis sine vlla dubitatione vtuntur, quae nisi ex ridicula illa hypothesi orta essent, in vsu nunquam inualuissent. Quoties tabernam ingredior pharmaceutices, toties ante oculos mihi versatur pyxidum adspectus atque capedinum, quarum adparatus e somnio profectus est HELMONTII, et quas multos adhuc adire video, qui pro ratione scilicet auctoritatem veterum sequuntur fallacem. Si quando grauioris morbi vehementia Archaeum bacchari opinaretur HELMONTIVS, omnium medicamentorum accommodatius nullum, nullum magis eximium, nihilque potius ac praestantius *hirci sanguine* esse duxit. Propter ea insignem semper hircorum numerum aluit, quos opipare atque adipato satis victu curauit saginandos, vinum illis praebuit Hispanicum atque herbas longe exquisitissimas. Quibus quotidie adpositis quum opimos reddidisset, et per certum tempus agitasset, tandem posterioribus pedibus cum cornibus colligatis suspendit, testiculos abscidit, atque adeo miserrime constrictos hircos bene

ſaginatos dependere tantiſper fecit, dum haemorrhagia ſubinde occumberent. Collectum ſanguinem ſtudioſius exſiccatum condidit, et magna cum diligentia ſeruandum curauit, optimum hunc eſſe auxilium ratus, ſi quando ſaeuiret Archaeus. Medicamentum hoc in alias atque alias redegit formas, in quibus puluis inde compoſitus eminet, quem, ſi quis infelici caſu grauiter cecidiſſe, ad ſugillationem ſanandam valere plurimum credidit. Acceſſit deinde aliarum animantium ſanguis quoque, aſini nempe, praecipue vero hominis, quem, ſi ab hirco diſceſſerimus, fecit maximi. Proficiſci inde videtur, quam etiam hodie quidam probatam eſſe colligunt, epilepſiae medicina, quam quidem in malefici hominis, cui caput amputatur, ſanguine quaerunt, ſi ſtatim recentem adhuc et calidum ſorbuerit epilepſia laborans, ita vt ſimul atque ebiberit, illico curſitare vehementer incipiat, dum ſudor eliciatur inſolentior. Praeter ea alias etiam res, quae colore rubro ornatas eſſe videbant, in numerum medicamentorum retulerunt. Hinc inter vulgus adhuc vuguentum potui aptum rubrum ſeu butyrum rubrum, quod in reſoluendo coagulato ſanguine adhibetur. Egregia ſcilicet medicamenta, ſi ludere medicus in re ſeria ac graui, hominis ſanitate, temere voluerit, quam quo minus perdat, ſi ei non fuerit religio.

§. XV.

Sed quanta tandem opionum abundantia, quam foecunda medicamentorum ſeges, quam dicto deterior errorum in medendo colluuies! Mens mihi non eſt adtinge-

tingere ſingula. Praecipuas non niſi explicare hypotheſes adgreſſus ſum, ex quibus inania multa medicamenta in medicinam ſubinde recepta ſunt. Reſtat vnica, quae ad dignas memoratu pertinet quam maxime. Superiori ſaeculo fuerunt, qui SYLVIO duce morbi tantum non omnis originem in ſale acido reperiſſe ſibi videbantur. Hoc vero in ventriculo haerere atque in inteſtinis opinati ſunt. Ad deſtruendum denique ſalem illum acidum optime omnium quum alcalina facere ſalia, volatilia pariter ac fixa, tum maxime vero terras abſorbentes. Atque profectam inde eſſe puto opinionem, qua multa ac glorioſa praedicatione vel hodie a non nullis ſummi pretii eſſe feruntur abſorbentia. Quamuis enim nec vnum atque idem cum SYLVIO ſentiant de prima et vniuerſa omnis morbi cauſſa; nihilo minus tamen negatis SYLVII praemiſſis, concluſionem retinuerunt libenter aeque atque inſcitius. Sed haec non tanta ſunt, vt refutationem mereantur, quum qui medicinam vel mediocriter callent, intelligere facile poſſint, quid hac in re verum ſit, quid non. Sapiens autem atque intelligens medicus medicamina nuſquam terrarum ſequetur inertia, multo minus eadem omnes morbos medicina leuare tentabit.

§. XVI.

HACTENVS peruerſas opiniones luſtraui, fontes ac principia, etſi ridicula ſaepe, vberrima tamen, ex quibus complura in tabernas medicamenta venerunt. Plurima de illis inania eſſe et vſus comprobat, et experientia chemica, ceteraque rationis ſanae fundamenta.

Sed vt, quae inertia esse ducam et quare, enodatius constet: age, iam priua cursim adtingam, et medicamentorum, quae in officinis adhuc parantur, vel in tabernis prostant publicis, naturam singulariter considerabo. In quibus recensendis ordinem sequar alphabeti, ita tamen, vt si quae praesto fuerint pari virtute praedita, ad eamdem referam classem. At ita rem quidem agere animum induxi, vt medicus intelligens complura medicamenta, per hypotheses modo expositas introducta imbecillia, absona atque inania esse iudicet.

§. XVII.

QVARE ad propositum veniam, et primum exordiar exponere DE ABSORBENTIBVS. Scitius in his illa, quae ex regno mineralium, ab istis, quae ab animantibus sunt, internoscenda esse videntur. Namque si vtrorumque naturam subtilius disquiramus, haec illis in efficientia sua praestant. Quae ab animalibus accepimus, terrae mineralibus teneriores, potiusque spongiosae sunt, quam absorbentia e mineralibus. Partes habent modice crassas, non glutinosas, sed mulsas, vti CELSVS loquitur, atque adeo aptiores acri materiae, itemque causticae atque acido cuique, quae ventriculum pariter cum intestinis adrodunt, plenius absorbendis: glutitis tandem nocentibus, acido mixtae partes illae materiam praebent nouam, ad medii salis indolem proxime accedentem. Qua quidem in re longe antecellunt mineralibus omnibus

bus. Haec enim ſalis quaſi medii ſmateria ſolui facilius ab humoribus corporis humani poteſt, atque deuchi in ſanguinem ibique diſtribui. Vis autem eius medelam efficiens haec eſt, vt cor irritetur cum nexa ei arteriarum venarumque compage; quo facto ſanguinis in orbem motus incitatur, ſumma cutis relaxatur, meatus cuticulares patent idonei deducendae minutatim et per ſudorem emittendae inuiſae corpori materiae. Atque diductis hac ratione ad extrema cutis humoribus redundans in inteſtina materia diſſipatur, eiusque illinc adfluentia alio deriuatur planeque tollitur. Ex contrario quae e mineralium regno proueniunt abſorbentia, *terras medicatas* vocant, multo craſſior ac durior ſunt terra, quam quae diſſolui ab humoribus poſſit humanis. Haec igitur parum ſorbent acidi in primis viis, quo mox ſaturata amplius exhaurire nihil valent. Abſorptis, quantum fieri potuit, acidis, argillacea terra, quae eius natura eſt, in maſſam cogitur firmam atque compactam, quae pondere ſuo inteſtina atque ventriculum onerat, tandemque continua in ipſum agitatione laceſſita debilitat, nihiloque ſecius ad inteſtinorum tunicas tenaciter adhaereſcit, diuturna interim alens incommoda. Inſignis ventriculi atque inteſtinorum virtus, qua in ipſorum partibus tremulus facile motus excitari poteſt, quam *irritabilitatem* adpellant, impeditur, quaſique adligatur atque imminuitur ſubinde: quo facto motus periſtalticus vna offendatur neceſſe eſt. Quae quum ita ſint, qua ratione deducetur inteſtinis acris illa materia, morbi cauſſa? Sed corpus detrimenta inde capit dicto maiora. Lactea enim vaſa atque

illi glandularum ductus, humoribus in inteſtinis diluendis apti, facile oblinuntur; vnde, chylo accedenti ad ſanguinem tranſitum negant. Aperte itaque patet, magis inuiſa eſſe trita abſorbentium remedia, quae e mineralium regno ſumuntur, quo frequentius adhibentur, ſi tollere medicus morbum audeat, quia per ſe ipſa efficiunt, vt aliis efficacioribus intercludatur ad ſanguinem ingresſus. Subigendo ac molliendo cibo idoneus ventriculi humor, et mucus inteſtina lubricans non iuſta ſuccedunt copia; vnde aegrotus cibi adpetentia priuatur, cibus minus digeritur, aluus ſaepe adſtricta eſt, et tandem cachexia ſubſequitur. Liceat mihi de *medicata rubra terra* adiicere, quod, ſi in dyſenteriae curatione recte procedere medicus voluerit, ad robur inteſtinis exulceratis conciliandum eam valere confidens, maiorem in modum fallatur. Experientia enim conſtat, quam parum continent materiae ferri terrae illae rubrae: ſed dicto minor quantitas in luteis eſt. Ex vna eius terrae libra, cum phlogiſto commixta et ignis vi expoſita, vix grana aliquot ferri magnetis ope extrahi poſſunt. Sed tantillum ferri quid iuuabit in exulceratis inteſtinis et conſolidandis et corroborandis? Tantum abeſt, vt terra ea ad ſanationem quidquam valeat, vt inteſtina contra, dum tunicis illorum villoſis inaniter inhaeret, ſubinde recrudeſcant, atque adeo ipſa terra ea conſolidationi obſtet. Adhaec quum ipſa ſibi aditum ad ſanguinem praecludat, et non, vti abſorbentia ex animalium regno, in ſal quoddam medium facile mutari et ſic vim diaphoreticam exſerere poſſit, quanta quanta eſt inanis fere redditur.

Ter-

Terrae medicatae vero ſequentes ſunt, terra Lemnia, terrae ſigillatae, terra Melitenſis, bolus alba, Armeniae, itemque rubra, Stenomarga, lac lunae, creta, rubrica fabrilis, vnicornu foſſile, atque oſteocolla. Quas quidem ſingulas non abſorbendi modo atque adſtringendi gratia adhibere priſca aetas ſolita eſt, verum easdem illas, tamquam eximia remedia polychreſta in omni fere morbo frequentauerunt. In primis vero in haemorrhagia vſi ſunt illis, interne pariter atque extrinſecus illas adhibendo. Aduerſus venena easdem etiam parabant, cuiuscumque virus generis eſſet, nimirum vel intus in ipſo corpore generatum, vel extrinſecus acceptum, vel ipſo rabidae beſtiae morſu in corpus delatum. Medicationis eius ratio generatim haec fuit. Memoratis terris ſulphur auri ineſſe ſubtiliſſimum praeſtantiſſimumque exiſtimauerunt. Qua propter Lemniam terram, Strigonienſem, Melitenſem atque Armeniae bolum in cunctis fere morbis praeſtare crediderunt. Nam aurum, quippe quod omni metallo perfectius eſſet, vires etiam habere in omni medendo morbo ſummas atque vniverſales rebantur. Praeter ea modus, quem in colligendis terris iſtis olim obſeruabant, et rationes, quibus, vt vterentur illis, veteres adducti ſunt, plenam ſuperſtitionis inertemque verae medicinae antiquitatem mirum quantum redolet. *Melitenſem* quidem *terram* propter ea maiorem in modum praedicabant, quod S. PAVLVS vim ei contra venenatarum viperarum morſus indidiſſe credebatur. *Lunae lac*, quod hodie nutricibus, lacte ipſas deficiente, medicina perquam ſalubris eſſe dicitur, a veteribus

 pro-

propter ſignaturam ad medicamenta relatum eſt. Deficientis autem lactis cauſſae variae ſunt. Quodſi acidum vera cauſſa fuerit in primis viis retentum, lunae lac ad augendum lac matris non nihil poſſe credo, quia acidum, quod chylum coagulauit, abſorbet. Quum vero, quae animantes praebent abſorbentia, praeſtantiora ſint, efficaciora, tutiusque adhiberi poſſint, certe haec longe antecedere lunae lacti cenſeo. Praeter ea vt monui modo, non eadem ſemper lactis in mammis deſiderati cauſſa exiſtit. Fac autem longe aliud defectus eſſe principium, lac lunae non ſalubre, ſed inane, quid? falſum ſaepe erit medicamentum. Quod ad *vnicornu foſſile* adtinet, oſſibus hocce conſtat a ſtalactitae ſucco perfuſis. *Oſteocolla* ob ſignaturam in oſſium fracturis citius conſolidandis extrinſecus aeque atque interne exhibita. Tam oſteocolla vero, quam vnicornu illud foſſile, etſi ad abſorbentia pertineant, terrae tamen nimis craſſae ſunt, quae ideo vires a veteribus effictas minime poſſident; contra ea quum ſuſpecta, tum vero, ſi frequenter quis iis vſus fuerit, infeſta ſanitati euadent atque exitioſa.

Tandem ad abſorbentium claſſem alia referunt quam plurima, in quibus *antimonium diaphoreticum* excellit, de quo, quae equidem monenda iam eſſe exiſtimo, non poſſum quin ingenue exponem. Primum quidem ſal acidum vere haurire antimonium diaphoreticum eo modo, quo terrae calcariae acidum in ſe recipere ſolent, nequit. In primis vero memorabilis eſt obſeruatio illa ab illuſtri TRILLERO in *Theſauro medicamentorum* non ita pridem promulgata, vbi calcem illam metallicam

mirum

mirum in modum carbone notatam legimus. *Aliquoties*, inquit, *attonitus ipse vidi, ab antimonii diaphoretici non nihil vetusti granis duodecim, aut quindecim, cum aliis terreis pulueribus innocuis permistis, atrocissima symptomata illico suborta fuisse, veluti praecordiorum anxietates, crebras ac difficiles vomitiones, frequentes alui deiectiones, cum acerbissimis torminibus coniunctas* cet. Cuius phaenomeni rationem ex vetustate antimonii deducit vir illustris, quia antimonium diaphoreticum ex intericcto temporis interuallo, eoque solo, ex quo paratum sepositum fuisset, maiorem in modum potuisset vitiari. Nam semper calcem eam per se sola vetustate corrumpi. Liceat mihi autem, viri illustris pace, rem dicto subtilius disquirere. Cogitemus vulgarem, amabo, antimonium hoc parandi modum. Antimonium et nitrum, in primis si magna calcis eius quantitas pararanda sit, in metallico plerumque mortario, vel in olla etiam maiori, quum forcipe deferimus prunam, deflagrat. Sed quis est, qui nesciat, particulas calcis candenti carboni, qui forcipe infertur, proximas ab eius phlogisto illico in regulum redigi? Quod quidem apud illustrem PRAESIDEM meum saepius videre memini, quum nos doceret, qua ratione euitari vitium hoc antimonii diaphoretici tutius possit. Sed si ita minutissimis reguli antimonii globulis calx ista misceatur, non est, quod miremur admodum, quare vomitiones antimonium illud cieat. Reguli partes grauiores ad fundum vasis demittuntur, in quo antimonium diaphoreticum in pulueres redactum ponitur adseruandum. Fac insuper, quo saepius quidquam ex vase

ſumitur, eo crebrius vas iſtud agitari, ſingulae reguli partes fundum vaſis facilius occupabunt. Hinc quod in pyxide antimonii diaphoretici eſt optimum, primum eſt; tum ſuperiora reliqua ſincera quoque ſunt; at in imo non minimum tantum, ſed peſſimum ſubſidit, antimonii regulus vomitioni creandae aptiſſimus.

§. XVIII.

Ad claſſem LENIVS ADSTRINGENTIVM multitudinem plantarum refero, quarum virtutem quum ſuperſtitioſa priſca aetas excogitauit, quem ad modum in ſuperioribus expoſitum eſt, tum recentiores adhuc medici in grauiſſimis ſaepe morbis maximopere collaudant, quaſi ad ſanandum admodum valerent, quae autem praeter vim lenius adſtringentem nihil fere habent, quod ſalubre dici poſſit. Adiiciam ea ordine alphabeti ſeruato ita, vt falſam efficacitatem, quam de illis vulgo in aliis morbis praedicant, hinc atque illinc ſubnectam. Et hoc quidem more eorum agam, qui breuiter adſtringere ſolent argumenta in vtramque partem, meo deinde inſtituto, ſi placet, rurſus vagaturus.

Agrimonia, figura ſerrae adſimili, idcirco ex ſignaturae principiis herba olim vulneraria habita eſt, et noſtratibus relicta, qui decoctam eam in ſauciis adhibent, ad vulnera non ſolum conſolidanda, ſed ad haemorrhagias etiam inhibendas, immo vero ipſam aquam inde deſtillatam, etſi nec ſaporem habeat nec odorem, valere tamen plurimum exiſtimant; longiusque progrediuntur, vt vires dicto maiores huic ex agrimonia aquae vindicare non dubitent.

Ana-

Anagallis phoeniceo flore inſigniter hodie laudatur; ſed videamus ne inania ſequamur aetatis HELMONTII ſomniis adſentantis, et indulgentis temere purpureo colori, cuius nomine vbique gentium celebratur, quaſi rubro eius flore opprimi omnino inflammati Archaei audacia poſſet. Audent inconſulti rabioſi canis morſum inde ſanare. Quid? quod ipſi HOFFMANNO * ſuccus anagallidis, et aliis noſtrae aetatis celeberrimis medicis eadem herba decocta et cum ſanguine aſinino commixta in mania praeſtans remedium eſſe videtur.

Anchuſae radix, rubro colore conſpicua. Itaque quaſi ſanguinem reſoluat, laude cohoneſtatur. Ex eadem ratione vnguentum etiam rubrum potandum, quippe cui ineſt anchuſa, ſanguinis reſoluendi cauſſa datur.

Anſerinae variam tribuunt efficientiam, quum eamdem, qua agrimonia praedita eſt, vulneribus putant profuturam, ex rationibus, quas ſupra poſui; tum vero in fluxionibus eam albis mulierum adhibent, quoniam in auerſa foliorum parte color cernitur albus.

Quare *antirrhinum* morbos propulſare atrociſſimos dicatur, in quos ab excantantibus, vt vulgus credit, non nunquam iniiciuntur mortales, non ſatis ſcio, niſi ex horribili florum eius vel granorum facie ratio fortaſſis reddenda ſit. Namque flores illius immanium belluarum, praecipue vero leonis rictus quaſi ſimulacrum ſunt; grana vero ſceleto haud abſimilia. Sed nonne tam tetrae,

* Vid *Annotat.* eius in POTERII *Pharmac. ſpagyr. Lib. I. Sect. V, pag. CCCCLIIII.*

tam truculentae, tam terribilis adſpectu herbae potentia diſſipabit cacodaemones metu perterritos, et eos ſtatim ex corpore incantati, qua cuique ad fugam patet via, erumpere coget?

Aquilegiae floribus, praeſertim aqua ex illis deſtillata, inflammationem reprimere oculorum periclitantur, fortaſſe, quia caeruleo colore flores exſplendeſcunt, qui color per ſe alias quidem oculis admodum ſalubris eſt. At vero aqua indede ſtillata perdidit colorem caeruleum.

Mirari ſatis non queo, atque etiam non poſſum non ſtomachari, ſi adeo altas ſtirpes eſſe vulgarium opinionum videam, vt in grauiſſimo etiam periculoſiſſimoque morbo remedia adhibeant medici non admodum indocti, quarum vires vel plane inutiles, vel tardiores, vel certe non tantae ſunt, quantas curatio minime dubia poſtulat, nec tantum poſſunt, quantum alia aduerſus eumdem morbum medicamenta praeſtant, tum magis probata, tum in ea, quae ſanatio poſcit, habiliora. Peſſimum eius exemplum in pulmonum morbis habemus, quibus fere cunctis *bellide*, quum *pratenſi* tum *hortenſia* maxime, occurrunt, meliora vulgo negligentes, tamquam in ſumma opinionum inanitate verſari conſectarique nullam eminentem ſapientis medici effigiem, ſed adumbratam imaginem ſignaturae, medici ſit, abs quo ſuis cum amicis amice exſpectant aegroti ſalutem. In errorem itidem induxiſſe rubicundus color priſcos medicos videtur, quoniam hoc communis veterum opinio, rubrum colorem et ſanguinem reſoluere et exſcreationem cruentam ſiſtere, ideoque in haemoptyſi, in phthiſi inde oriunda atque in hectica,

gene-

generatimque in ſingulis pulmonum morbis multum valere.

Praeter ea imaginariae etiam *borraginis* atque *buglоſſae* virtutes ſunt, praeſertim aquae inde deſtillatae, quippe quas ſapor perinde atque odor deficit omnis, etſi magnus ipſe BOERHAVIVS * borragini proximas a croco partes vindicet, camque propter virtutem ſuam magnanimitatis herbam adpellet. Antiquitati forte placuit, vt ſexcenta vtriusque herbae ſpicula, quae folia defendunt, pro inſigni remedio haberent, cor a cunctis morborum generibus defendendi eique robur conciliandi. Quam ob cauſſam ea ad remedia analeptica retulerunt, et vel extrinſecus ſcrobiculo cordis adplicuerunt, vel aquam inde deſtillatam bibendam praebuerunt.

Capillus veneris, vt capitis capillo incrementum adferret, quondam datus eſt. Quare? Ob ſimilitudinem ſuam cum capillis maximam. Sed quoniam idem ille cum lobis pulmonum et in iisdem diſtributis vaſis ſanguinem continentibus ſimilitudinem priſcis habere videbatur, contigit, vt eum in ſingulis pulmonum morbis laudibus efferrent. Celebratiſſima vero non herba per ſe ea ſolum, ſed in primis *Veneris capilli ſirupus* eſt, qui in Gallia paratur, cuius auxilio praeter alios pulmonum morbos humidum aſthma cedere dicitur. Ita quidem ſequaces auctoritatis in re medica imitatores, neſcientes virtutem huius ſirupi, quod reſoluat mucum tenacem, in ſaccharo potius ſitam eſſe.

Cap.

* In *Hiſtoria ſua plantarum Tom. I. p. CCLXXI.*

Capparis radicis cortex neque aduerſus lienum, neque atrae bilis morbum praeſidium eſt. Veteres color eius fuſcus, recentiores auctoritas fefellit.

Cyani et *delphinii flores*, quorum aqua deſtillata in oculorum morbis adhibetur, praecipue vero, vt ſe inflammatio, quae oculos occupauit, remittat, inutiles ſunt. Quaſi enim caeruleus color inflammationem praepediret: vel ſi etiam hoc poſſet, quaſi aqua, quae perlucida eſt et colorem nullum habet, tantum proficeret ad vim oculorum, quantum color caeruleus efficit.

In epilepſia ex difficili infantum dentitione orta *dentariae radices* quum per ſe, tum maxime aqua ex illis deſtillata egregias adiutrices fore non dubitant, ob ſimilitudinem earum cum dentibus.

Euphraſia ſecundum veterum doctrinam de ſignaturis ophthalmica herba cenſetur, et in noſtris tabernis adhuc aqua illius contra oculorum valetudinem, praecipue vero imbecillitatem eorum, adſeruatur.

Veteres, quoniam ſerpentes *fraxini* vmbram omnino fugere falſe perſuaderi ſibi paſſi ſunt, folia eius itemque corticem mortiferos venenatarum ſerpentium ictus, ictusque aliarum animantium perſanare facile crediderunt.

Abſone profecto colligitur, *hepaticam nobilem*, quum ſignaturam referat iecoris, iecinoris quoque morbos auferre. Illa enim adſtringens medicamentum eſt. Quum autem plerorumque vitiorum, quae in iecinore reſident, prima origo in obſtructione huius viſceris quadam quaerenda ſit, per quod, quae eſt ſtructura iecoris, ſan-

ſanguis non niſi tardius et pedetentim labitur; tantum abeſt, vt adſtringens obſtructioni laxandae apta medicina dici poſſit, vt contra incommoda iecoris non poſſit non augere.

Lunaria racemoſa minor, quia foliis quaſi ſciſſis eſt, vulgo in vulneribus falſo adhibetur, ſanatu certe inutilis. Sublimioris chemiae cupidiſſimi aemuli plantam eam inuentu rariorem magni aeſtimant. Acceperunt forte a chemicis priſcis vires lunariae praeſtantiſſimas eſſe: ſed coniugati vocabuli adſpectu et pronunciatione decepti herbulam pro alia re anxie conſectati ſunt auari. Non plantam enim, verum longe aliam rem hoc inuolucro et lunariae aenigmate veteres chemici ſignificauerunt.

In cranio malefici e patibulo abhinc ſuſpenſi vel rota contuſi *muſcus*, quaſi ſubnaſceretur, interdum reperitur, qui re vera muſcus vulgaris minor eſt, in caput ſupplicio adfecti a vento paſſim delatus, vbi efflorеſcere coepit. Contra ea vulgus muſcum illum ex ipſo cranio ſuboriri, cunctasque cerebri vires expelli in iſtum et exprimi ſomniauit, atque adeo hoc medicamentum morbum fere quemcumque ſanare, in primis vero epilepſia laborantibus opem adprime ferre putabat.

Femina moliens libenter comique cupida ſi faciei ac manibus candorem egregium conciliare amanter geſtiuerit, ex veterum ſententia aqua ſeſe diligenter lauet e floribus deſtillata coloris albi, qui color praecipue in *nymphaeae floribus*, tamquam Nympharum formoſa capita ex aqua eminentibus, excellit. Egregia ſcilicet ſignatura, quae inſuper veteribus perſuaſit, fore, vt iidem nymphaeae flores ob album colorem

 ſuum

ſuum medicinam adferrent fluxionibns mulierum albis, gonorrhoeae, itemque nocturnis pollutionibus maxime adcommodatam.

Similiter in *perfoliata* eſt. Nam eius caulis eadem fere ratione folia perforare priſcis videbatur, vti inteſtina in ramice, vbi per muſculorum abdominis annulum prolapſa ſunt. Qua propter praeter alios morbos herniofis quondam, vt eos ſanaret, planta illa data eſt. Sed et recentiores, ignari ridiculae medicamenti huius originis, inani eiusdem ope ramicoſis opitulari non erubeſcunt.

Roſae albae flores, quaſi album oculorum colorem redintegrare valeant, in oculorum valetudine et aduerſus albas mulierum fluxiones vulgo commendantur: itidem in oculorum inflammatione *aquam* ex *roſa rubra diſtillatam* ſalubrem admodum eſſe aiunt, tamquam color ruber alius alium depelleret certiſſime.

Iidem ingenioſi illi priſcae ſignaturae comprobatores aemulique ſequaces magnam vim colori rubro etiam in *rubia tinctorum* tribuunt, quam coagulato ſanguini reſoluendo maxime idoneam eſſe dicunt.

Quin immo adeo a philoſophia opinionum atque inſcitiae tenebris intercluſa eſt antiquitas, vt organicas etiam partes viſceribus morbo conſumtis adcedere poſſe ſomniauerit, atque in ipſis pulmonibus adeo, ſi vel diuturna et ſumma iam phthiſi intabuiſſent, nouos veſicularum cellularumque ordines recens adcreſcere poſſe, et quidem *ſalicis fungi* in puluerem redacti ope, non dubitauerunt. Nempe ſalicis fungus ad pulmonum naturam,

rari-

raritatem ac mollitudinem adcedere quam proxime videbatur.

Saxifragia rubra, ſanguini perſimillima, ſcilicet reſoluendi coagulatum ſanguinem vim habere videtur.

Scrophularia, quia radix eius tumoribus inaequalibus ſuis ſtrumoſa adparet, ad ſtrumas reſoluendas et exulceratas ſcrophulas conſolidandas laudatur.

Tamariſci corticem proprium aduerſus atrae bilis morbum et lienum valetudinem remedium eſſe dixerunt, ob colorem fuſcum; aduerſus icterum autem, propter ferrugineum colorem in interioris corticis parte.

Tandem *vrticae mortuae*, ſeu *lamii albi flores*, medicina illa, quae in albis mulierum fluxionibus datur, medicis naturam medicamentorum ſubtilius diſquirere ſolitis quam inſulſe excogitata non iure videatur?

§. XIX.

ALCIS *vngula poſterior ſiniſtra*, ab antiquiſſimis iam inde temporibus egregium in epilepſia medicamentum eſſe credita eſt. In primis vero CAELIVS AVRELIANVS * mirabilis eius virtutis auctor et praedicator fuit. Neque vero hodie deſunt, qui alcis vngulam remedium proprium aduerſus epilepſiam eſſe contendunt; aliis alii rationibus adducti ſunt, quae ſubiectae.

Non nulli ita ratiocinati ſunt. Alces animal eſt, quidquid increpuerit, pertimeſcens, et quod ipſa ſilentia terrerre poſſunt; namque vel arbore ſtrepitante eminus terga vertit et fugae ſe mandat. Quae vehemens timidi animi adfectio totum alcis corpus percutit, et in

 omnes

* *Lib. VII. cap. XXXVIIII.*

omnes partes terrorem diſtribuit, praecipue vero in vngulas poſteriores, quibus inde vis inditur *Archaeo metum* iniiciendi, eumque a furore, quo in epilepſiae acceſſione omnia in corpore perturbat, feſtiue reuocandi.

Aliis ex *epilepſia alcis* virtus illa deriuari optime poſſe videtur. Certum eſt, aiunt, alcem epilepſia crebro laborare, quae quando accedit alcem in terram coniicit, vbi pede eum ſiniſtro ſuo poſteriore laeuam aurem perfricare videmus; quo facto epilepſiae motus mox ſedantur: atqui ſic ſemper ii in alce percurati ſunt. Itaque natura nobis remedium monſtrauit optimum, quod ad epilepſiae ſanationem valeret. Hactenus vulgaris de alce ratiocinandi modus. Sed ſi quae de hac alce commemorantur ſubtilius diſquiſiuerimus, facile intelligemus, minime epilepſiam eſſe, per quam alces in terram non núnquam cadit, verum oeſtrum, abs quo hoc animal eodem modo, vt tarandus, mirum quantum vexatur. Corio alces tegitur adeo denſo ac firmo, vt nec, bombarda in alcem diſploſa, globuli ictu cutis perforari, ſaltem vix, patiatur. Quum oeſtrus itaque aculeo cutem alcis penetrare nullo loco poſſet, commodam tamen ſedem poſt aures alcis inuenit, vbi tenerior cutis, immo vero molliſſima natura eſt. Hanc tandem partem perforat oeſtrus, ibique ouula ſua deponit in tunica alcis adipe plena. Non ita multo poſt, quum laruae oeſtri ruptis ouuli anguſtiis ſubortae ſunt, et ſubinde euolutae demum ereptant, hae pericranium alcis adrodunt, et dolores efficiunt vehementiſſimos. Quibus incitata alces veluti rabidi animalis ſpeciem agere, frequenter diſcurſitare, longe lateque vagari, anxia eſſe,

tan-

tandem ſubito procumbere atque poſteriori vngula aurem ſcalpere, quo vermes a roſione deſiſtere coguntur, et alces a dolorum cruciatu liberatur.

Explodenda autem vulgaris de hoc remedio ſententia, vel obiter tantum perpenſa, propter ea videtur, quod epilepſia, quum acceſſit, omni aegrum interni aeque atque externorum ſenſuum vſu priuat. Qua vero ratione vecors beſtia tempore, quo epilepſia opprimitur, vel ex inſtinctu, vel ſua ſponte ſcire, inuenire atque agere valet, quae ſanitati reſtituendae conueniunt?

Alii * e *volatili ſale*, qui in vngula alcis eſſet, explicatum habere virtutem eius antepilepticam adſerunt. Quaſi vero ſal hic volatilis vngulae vere ineſſet, nec ignis demum ope ſuboriretur; vel, vt chemici loqui amant, ſal ille volatilis *non eductum* eſt, ſed *productum*. Quanta vis ignis requiritur, vt volatilis ſal puluerata vngula tandem deducatur? Num vero calor corporis humani tantae ignis vehementiae reſpondet?

Maxime vero momenti vngulae alcis patroni argumentum eſſe putant, quo, dum ea vti pergunt, ſe purgandi quaſi cauſſa perhibent, vngulam eam *vim* habere *abſorbentem*, *acrimoniam temperantem* et *leniter antiſpaſmodicam*. Liberaliter dabo, habere abſorbendi vim: at vero ceteris calcariis terris abſimillimam. Hae enim ſorbent acidum ſalem, et ſolui ab illo facile poſſunt, ſolutaque acidi qualitatem plane immutant: puluis autem ex alcis vngula primum quidem acidum recipiet, immo aliquo modo

* Vid. WOYTII *Gazophylacium p. LXIII.*

modo in ſe recondere valet: fac vero fluidum, quodcumque eſt, addi, illico acidum glutitum reddet. Virtutem, quae acrimoniam temperat, qui in cocta vngulae parte, deinde temperato frigore coagulata ſitam eſſe putant, non ſatis intellexiſſe mihi quidem videntur, ex hoc alcis puluere, natura duriſſimo, gelatum, quod euaporato calore conſiſtat, in corpore fieri non poſſe. Adeo enim per humores noſtros coqui nequit, vt libere prodeat, quod ex puluere illo chemica decoquendi ope, idque vi ſumma, cogitur. Sed quod ad antiſpaſmodicam adtinet, in qua vngulae parte illa lateat, equidem nec video, nec vlla ratione hariolari queo.

Haec alcis vngulae inter medicamenta origo. Ratio vero medendi, qua alcis vngulam admouerunt, apud veteres multiplex fuit. In infantibus epilepſia oppreſſis modo tota alcis vngula de collo dependebat, modo in cunis collocata erat. Alii annulos ex vngula confecerunt, quos geſtitare eos in auriculari digito iuſſerunt, qui epilepſia laborarent. Alii ad laeuam aurem vel ad arterias adplicauerunt: alii incenſam vngulam ſub nares poſuerunt epileptici. Omnium autem frequentiſſimus vſus puluis adhuc eſt ex contrita vngula, quo interne vti ſolent, et cunctis fere pulueribus antepilepticis, qui in tabernis pharmaceutices adhuc adſeruantur, frequenterque hodie ab inſtitore medicamentorum venduntur immixtus eſt. Medici nempe perſtant in vulgari ſententia. Optandum vero eſſet, vt ex officinis medicamentorum publice tandem proſcriberetur inanis alcis vngula, quo facto et medicis et vulgo omnis occaſio eam adhibendi eriperetur

opti-

optime. Etenim praecipue in epilepſia minime praebenda ſunt, quae tarda, imbecillia nec ſatis probata ſunt, quum is morbus neruos ita debilitet, vt quo frequentiori conuulſionum acceſſione repetitur, eo facilius ſyſtema neruorum adeo adficiat, vt morbus reddi facile poſſit inſanabilis.

§. XX.

ANACARDIVM ex ſignatura inualuit. Cordis enim quaſi ſpeciem praebet, fructus ex oriente, quem in amplius elaborando creandoque neruino liquore, itemque in memoria, in ſenſibus acuendis, in ventriculo roborando, in libidine ſtimulanda, atque in apoplexia, inque paralyſi percuranda, generatimque corroborandi gratia plurimum poſſe exiſtimauerunt. At vero ſatis conſtat, et vſus iterum iterumque commonſtrauit, quam exitioſa ſaepe facta ſit haec medicina. Memoriam enim eorum, qui vſi illo ſunt, exturbauit, multos furioſos reddidit. Quae ſingula ſuſpecta ſalium aſperitas, quam exurens anacardii ſapor abunde teſtatur, in corpore efficit.

§. XXI.

ANGVILLAE IECVR EXSICCATVM quum in medicina locum reperiſſe, tum in propriis ad nixus parturientis confirmandos leuandumque fetus exitum remediis poſitum propter ea eſſe videtur, quod auctores eius atque inuentores primi crediderunt, anguillam prae omnibus animantibus partum edere facillimum. Anguilla enim viuipara eſt, quae aeſtuoſa circa Canis ortum tempeſtate parere ſolet. Quum vero paullo ante

par-

partus tempus in corpore anguillae, feminae, nec oua, nec pisciculos inuenerunt, pisciculos suos anguillam negotio minime difficili et illico excludere putauerunt. Hinc signatura remediis partum faciliorem reddentibus accommodata. Verum enim vero in siccata carne particulae bilis paucissimae, quae ad valde incitandum sanguinem non admodum valent. Praeter ea abundat medicina egregiis emmenagogis, et quae partum trudunt, remediis, vt inutili anguillae iecinore facilius carere medicus posse videatur.

§. XXII.

ANTHELMINTHICORVM vberrima in medicina copia: at quam multa in istis inania, quae nisi ob signaturam in tabernas essent relata, quare illa adhibeat medicus ac probet, certe non constaret. *Corallinae* primum, seu musco corallino, magnus ipse BOERHAVIVS exuniam in verminibus enecandis efficientiam adeo tribuit, vt vel a minima eius dosi effectus exspectaret maxime insignes. Musci huius drachmas binas cum semisse drachmae limaturae ferri mixtas in decem et sex partes diuidi, atque totidem doses esse partes singulas iubet praeclarissimus BOERHAVIVS. * Summatim singulos fere pulueres, quos verminantibus praebent, more consulto corallinae ingrediuntur. Verum enim vero, si a similitudine discesserimus, quam cum complicatis inter sese vermibus habet corallina, ratio certe nulla constat, cur sapiens medicus aduersus verminationem hoc marino musco

* In libello *de Materia medica p. CCL.*

ſco vtatur. Ea enim, quibus conſtituitur, anthelminthicam virtutem plane nullam produnt. Maxima eius pars calcaria terra eſt, quam ſi vermibus depellendis aptam quisquam eſſe diceret, quum terra illa nullam aliam, niſi abſorbendi vim praeſtet, abſorbentia generatim anthelminthica forent. Exiguam inſuper ſalis marini partem corallina complectitur: prodeſſe vero marinum ſalem vermibus e ventre eiiciendis haud nego, at tantilla vix notabilis ſalis eius pars tantam efficacitatem non habet, quum, ſi ſal marinus ipſe adhibetur, vel magna eius copia in vermium curatione parum praeſtet. Praeter ea ipſe vſus dicta comprobat. Illuſtris PRAESES, quo auditores ſuos conuinceret, quam iners ſit hoc remedium, magnam corallinarum copiam, ex vermibus aegrotantibus dedit, quae nihil aliud effecit, niſi quod praeuiderat, corallinam inane eſſe vermina enecandi remedium. Quodſi vero marinum ſalem ad ſanationem quidquam valere perſuaſum habeat medicus, cur non ſatius ducit, ſalem marinum purum praebere, cur auctoritatem ſequi mauult inanem?

Filicis itidem ramoſae radix ſalutare vermes, praecipue vero taeniam, necandi remedium eſſe dicitur. Alii pulueratam laudant, cuius drachmam vnam, alii decoctum ex illa verminantibus praebent, ſed idem medicamentum non natura, verum ſimilis vermibus ſpecies in medicinam retulit. Radix ea adpendices multas, quaſi vermes, habet, folia autem eius figuram taeniarum referre videbantur. At enim quum amaritudo in illa leniſſima tantum ſit, et ſapor leniter adſtringens, partes au-

tem, quibus conſtituitur gummoſae et paucae reſinoſae nihil ad ſanationem faciant, vnde vis anthelminthica eius proficiſcatur, me quidem fugit. Interim radix ea plurimis medicorum probata eſt.

Ad haec *radix graminis aruenſis*, ſeu tritici repentis LINNAEI, a medicis magni aeſtimatur. Sed quum nihil poſſideat, quod ad vermes enecandos valet, recte inane medicamentum putatur. Herba eſt ſapore ſubdulcis, odore nullo, et ſuccus radici detractus coagulo conſtat mulſo, quae nullam habet vim irritantem. Qui fieri potuerit, vt deſtillatam ex illa aquam etiamnum frequenter aduerſus verminationem adhibeant medici, ex illis, quae ſupra dixi, facile intelligi poteſt. Neque enim ſapor, nec odor primos, qui medicinam faciebant, adducere potuit, vt proprium in aruenſi gramine remedium aduerſus vermes eſſe cenſerent, verum ſignaturae illuſio. Graminis enim canini radix in terra longe lateque repens, quaſi in taeniae longitudinem porrigitur, in cuius planitie pluribus locis intermiſſae quaſi vertebrarum iuncturae faciles conſpiciuntur, ob quos hinc atque illinc curuatos flexus geniculata in ſe ipſa implicite, hinc taeniae ceterisque in corpore vermibus longe ſimillima eſſe videtur. Maxime memorabile vero in radice graminis eſt, quod ſicuti taenia, quantum in poſtica parte ſubinde moritur, tantum in auerſa anteriori ſenſim adcreſcat. Quum itaque ſumma cum vermibus ſimilitudo adſit, quid mirum, quod vim anthelminthicam ei tribuerint?

A lepida hac medendi ratione illa non longe aliena eſt, qua *crematos inteſtinorum vermes* aduerſus vermination-

nationem non nulli adhibent, quaſi vnius mors reliquos in fugam effunderet omnes. Similiter eruditi in re litteraria plerumque ratiocinantur. Sed cognita ita opinionum origine, originisque vanitate, facilius videbit ſapiens medicus, quae ſalutaria ſunt medicamenta, quae veritatem habent, et quae inania ſunt, non niſi fallaci munita auctoritate.

§. XXIII.

ANTIPLEVRITICA complura ex ſignatura ſupra exploſa in medicinam olim profecta ſunt, ex quorum colluuie iam apri dentes, dentes hippopotami, lupi, piſcis, mandibulas, ſemina cardui benedicti, itemque cardui Mariae ſemina nominabo.

Apri dentes quum in omnibus lateris doloribus, tum in aliis etiam morbis dolorem inurentibus, in partium internarum inflammationibus, et in primis in cynanche vſitati olim fuerunt, immo vero et adhuc ſunt. At quare aduerſus cynanchen? Vix cauſſam ſanandi aliam video, ac ſignaturam: porci enim angina opprimuntur maxime. Praeter ea in haemorrhagiorum vehementia adhibentur, quum coagulatum ſanguinem reſoluere, acida abſorbere, ſudorem emittere, dolores eripere, eorumque cruciatus vix ſanabiles mitigare, tandemque in peripneumonia expectorare ſputanda large dicantur.

Deinde *hippopotami* dentes duplici modo dare conſueuerunt, tum in puluerem redactos, tum in annulos tornatos. Puluis horum dentium in pleuritide, in omni ſpaſtico morbo, in haemorrhagiae internae diuturnitate multis laudibus effertur. Annulos vero inde formatos

aduerſus ſpaſmos, fluxiones alui, epilepſiam, calculorum valetudinem, haemorrhagiarum frequentiam, partumque difficilem geſtari iuſſerunt.

Praeter ea proprium aduerſum lateralem morbum, aduerſus ſpaſmos, aduerſus lithiaſin, aduerſus vrinae incontinentiam et in albis mulierum fluxionibus partuque difficili remedium *lupi*, *piſcis*, *mandibulas* eſſe exiſtimant.

Cardui denique *benedicti* et *Mariae cardui* ſemina, quoniam vtriusque folia quaſi aculeis armata cernuntur, etiam in laterali morbo ſanando plurimum poſſe creduntur. At enim nullas alias vires habent, quam cetera ſemina, ex quibus oleum exprimi poteſt. Multo minus apri vel hippopotami dentes, neque lupi, piſcis, mandibulae medicatam in corpore vim habent. Ex his enim coagulum quidem mulſum extrahi poteſt, ſi aliquot vnciae eorum cum aqua decoquantur, verum e ſemiſſe, vel pleno etiam pulueris eius ſcrupulo, qui pro doſi exhibetur, quam parum mucilaginis humores noſtri extrahent? Natura autem adeo durus puluis iſte eſt, vt ab humoribus humanis ſolui nequeat.

At vero ducuntur etiam argumenta ex alia vi, quam ineſſe hippopotami, apri, et lupi, piſcis, dentibus adſerunt medici, quae autem nullo modo adfecta eſt ad naturam vel dentis memorati vel mandibulae. Nimirum praeter ea abſorbendi virtutem habere dicuntur. Neſcio, qua ratione id excuſare vſum inanium eorum in medicina poſſit. Fac enim in dentibus illis et mandibula vim abſorbentem ineſſe, quae non ineſt; num cum HELMON-

TIO

TIO ſapiens medicus morbi lateralis cauſſam in *acido* quaeret? Addo, quod in Pharmacopoeia pridem Wirtenbergica de puluere *Mynſichti* aduerſus lateralem morbum legere memini. Maximam partem is ex dentibus apri et mandibula lupi, piſcis, conſtat. Praeſentiſſimum in pleuritide remedium eſſe dicitur, quo aſperrimi lateris dolores breuiſſimo tempore detracti ſint. Omnis autem talis ex medicina pellatur error, vt, quum de virtute medicamenti diſputemus, veram cauſſam diſcernamus ab iis, quae nihil efficere valent. Mihi quidem effectus laudatus omnis ab anodyno medicamento profectus eſſe videtur, a papaueris nimirum floribus, qui vna cum inanibus iſtis Mynſichti puluerem conſtituunt. Nempe ridicula argumentandi ratio eſt, quaſi lateris punctiones aliis rerum acutarum punctionibus adprime mollirentur? Hac enim mente pro varia morbi intenſione medicamenta diſtribuerunt. Initio quidem, vbi dolores miniores ſunt, lenius medicamentum datum eſt, potio nimirum ex aqua cardui benedicti et ſeminibus cardui Mariae compoſita, cui admiſcendas rebantur mandibulas lupi piſcis praeparatas, in quibus dentes quidem acuti, ſed minores ſunt. Ingraueſcente autem morbo maiora atque efficaciora adhibere putabant, ſi apri dentes aegroto imperarent, quoniam aper ingenti recuruo brocho ſuo vi maxima pollet in homines, et dolores ſaepe iis infert multo acerbiſſimos. Quum autem hippopotamus ſuperet aprum fortitudine, et praeter ea haec potentiſſima animans per exſertos ſuos dentes terror ceterarum ſit, in extremo morbi periculo, et ſi aprini dentis ope haud conualeſceret

 aeger,

aeger, praepotentes firmiſſimosque hippopotami dentes, reciprocis, iisque fortioribus punctionibus ſuis, auxilium praeſtituros eſſe rebantur certiſſimum. Profecto in ſapientem medicum non cadit, in tam odioſo, ſollicitante ac pernicioſiſſimo morbo, quippe qui vt plurimum pauciſſimo intermiſſo ſpatio cum morte commutari ſolet, medicinam parare admodum inanem, propria autem, ſalubria atque efficaciora remedia ita, vt excuſari nullo modo poſſit, relinquere.

§. XXIV.

Seqvvntvr AQVAE DESTILLATAE, quae generis duplicis ſunt, *deſtillatae a plantis* et *deſtillatae ab animantium partibus*, e quibus ſingulas eas inanes eſſe cenſeo, quae odore deſtituuntur. Deſtillantur enim plantarum aquae eam ob cauſſam, vt partes earum volatiles a fixioribus ſeparentur, et ſeparatae citius in corpus noſtrum agere valeant, id quod ſi crudae adhuc ſint partes, et a terreſtribus ſeptae et praepeditae, non aeque contingit. Si autem volatiles fuerint et ſubtiliores, oleoſae, deſtillatae e planta particulae minutiſſimae, ſimul odoriferae ſint neceſſe eſt, et cum ſpirabili aere in nares facile commeent, atque odoratum tandem efficiant, vel morſiunculis ſuis ſaltem adficiant guſtum. Ex qua ratione intelligitur eam plantam, quae odorem non habet ſatis ſenſibilem, et ad deſtillandum per ſe ineptam, et aquam inde deſtillatam medicamentum fore inane. Inſcitiae itaque, obſcuritati atque ignorationi chemiae acceptam referamus

mus opinionem veterum erroneam, qua vim omnem plantarum in partibus ponunt volatilibus, quaecumque ſunt, ideo rati aquas plantarum omnium partes habere longe efficaciſſimas, quum tamen multae ſint, quarum efficientia in reſina, in gummi cet., quae in deſtillatione non adſcendunt, lateat. Recenſendis vero inanibus illis aquis praecipue adnumerndae ſunt aqua deſtillata *acetoſae*, *acetoſellae*, *alkekengi*, *anagallidis*, *anſerinae*, *bellidis minoris*, *borraginis*, *bugloſſi*, *burſae paſtoris*, *cardui Mariae*, *cichorei*, *cyani florum*, *delphinii*, *euphraſiae*, *fragariae herbae*, *geniſtae*, *graminis*, *hepaticae nobilis*, *lactucae*, *mercurialis*, *ononis*, *plantaginis*, *portulacae*, *foliorum quercus*, *ſaxifragiae*, *ſcabioſae*, *ſedi maioris*, *ſigilli Salomonis*, *ſquamariae*, *taraxaci*, *tormentillae*, *tuſſilaginis*, *verbaſci*, *verbenae*, *veronicae*, *virgae aureae atque vrticae*. Quod autem ad eas adtinet *aquas*, quae ex *animantium* partibus diſtillatae ſunt, earum virtus, ſi quid eſt in illis efficacitatis, non ex animantium partibus, ſed ab alienis rebus, quae addi ſolent, eſt deriuanda. Sunt *aqua* inde *caponis*, *cordis cerui*, *cerui cornu mollioris*, *ſucculenti*, *recens progerminati atque hirundinum*.

§. XXV.

Aqvis quae FERRI VITRIOLVM continent, ſeu medicatis fontibus, ſi quis intrinſecus vtatur, efficientia earum magna eſt. Calefactae autem, in ſolium effuſae, vt illis lauentur aegroti, quem ad modum extrinſecus adhibentur, ad ſanationem non plus valent, quam quodcumque eſt balneum ex aqua viua vel caeleſti.

Cauſ-

Cauſſa enim efficiens curationem non niſi in aquae martiali vitriolo conſiſtit. Fac autem aquam eam igni caleſcere; ſimul accepit aqua particularum ignearum copiam, ſubtiliſſimae partes acidulae illico auferuntur, reliquae vero acidi minutiae, quae ferrum ſolutum tenent, reſpuunt aqua feruente ferri, aqua nimis diluti, connubium. Vnde, aquae interſtitiis calore ampliatis, ferri terra ſub forma pulueris colore lutei ad fundum ſubſidit. Quum itaque vitriolum iſtud princeps martialis aquae virtus, igni admoto diſſipetur ac pereat, inde efficitur, martiales aquas ſubditis ignibus ad balneum feruefactas medicamentum nullum aliud eſſe poſſe, ac aquam, quaecumque eſt, calefactam viuam. Itaque inania ſequuntur, qui acidulas petunt, in primis, quae a domo ſua non nunquam longiſſime abſunt, vt ibi tantum in balnea deſiliant, interno aquae eius vſu intermiſſo.

§. XXVI.

Signaturarum doctrinae acceptum referamus, ſi quando ARGENTVM, tamquam proprium aduerſus capitis, cerebri atque neruorum morbos, cum primis autem in caduco morbo atque apoplexia medicamentum eſſet, in clinice adhiberi videamus. Plerisque olim maxime eximiam fuiſſe ac praeclaram tincturam caeruleam ex argento factam legimus. Recte vſus eius hodie damnatur. *Lunae* enim *tinctura* illa caeruleum ſuum colorem haud ab argento, verum ab aere Cyprio, quod argento non nunquam ineſt, accepit: purum argentum non reddit tincturam, quae hac de cauſſa magis commode

de Veneris tincturae nomine insignienda est. Sed venena esse Veneris praeparata, quae vomitus concitant vehementissimos, etiam tonsoribus hodie cognitum est. Non nulli *crystallos lunae* in medicinam receperunt, quod praeparatum ex argento aqua forti soluto et in crystallos quasi redacto constat. In hydrope grana terna harum crystallorum singulis dosibus pro diuretico remedio adhibent. At plus est in eorum vsu detrimenti, quam emolumenti, quum vascula tenerrima corporis corrodant, atque adeo hydropem ex anastomosi sanabilem cum desperato illo commutant hydrope, qui propter diaeresin tum serosorum tum lymphaticorum in corpore vasorum nullam amplius curationem recipit.

§. XXVII.

TANDEM ad Themisonum, liceat mihi cum PLINIO dicere *insaniam*, circa AVRI in medicina virtutes. Expositum iam supra est, quae fuerit priscis hac in re argumentandi ratio, videlicet quo maior auri prae ceteris metallis praestantia, eo excellentius in morbis curandis adiumentum, eo magis salutaris corporibus medicina aurum est. Aurum vero primo pondere suo metalla superat singula; deinde materiae ductilis facilitate praefertur, quum nullum aliud metallum laxius dilatari, aut numerosius possit diuidi auro; tum soliditate sua excellit; ceterum auri experimentum ignis est, atque adeo argumentum bonitatis eius, quod nihil auro igne depereat. Pondus itaque maximum, materiae facilitas, soliditas ingens, incolumis in igne firmitas, haec auri proprieta-

tes aurique bonitatis argumentum ſunt certiſſimum. Videamus iam, quanta vi in corpore opus ſit, vt continentiſſimum metallorum omnium ſalubre fiat corpori. Nouimus ex chemia menſtruum auri, quale nec in ventriculo neque in inteſtinis hominis exſiſtit. Itaque bene adhibita ratio cernit, quid ipſa auri ſubſtantia, ſi ab aegro pro medicina capiatur, in corpore valeat. Primum enim ab humoribus noſtris ſolui nequit; porro nec ad ſanguinem deuehi poteſt; integrum igitur hinc atque illinc reſidit; proſpereque euenit ſi cum faecibus rite tandem excernatur. Habemus eius rei exemplum in Saxoniae quondam Electore, KVNKELII tempore. Summas corporis corroborandi vires auro tribuit Elector: KVNKELIVS riſit, negans vllam aurum in corpore humano vim habere poſſe. Singulis diebus ſuam Elector auri portionem ſumebat: ſed quam inanis auri vſus in corpore ſit, haud dubia ratione Electori KVNKELIVS ante oculos poſuit. Electoris enim excrementa ſeruari iuſſit ac colligi; quibus ablutis glutitum aurum omne inde reduxit, ex quo auro poſt ea conficiendum aureum amiculi nodulum curauit. Haec corpori ex auro medicina. Sunt autem omnia iſta ex opinionum ſupra memoratarum orta radicibus; quae euellenda et extrahenda penitus in re remedica, non circumcidenda, aut amputanda ſunt. Pulueres itaque ex auri minutiis tantum non omnes, itemque *tincturae auri* inutilia ſunt, ſi remedia corporis ſanitati adhibeantur. His vero quum non ſolis, ſed admixtis aliis, abutantur, qui neglecta ratione medicinam exercent, ſi quando expedire videatur eiusmodi tinctura vel puluis, quare, quaeſo, quae admix-

torum

torum ſunt, falſo auro adſcribimus? Praeter ea vnciis tincturae auri quater octonis vix granum ineſt auri, cui nempe tanta in corpore efficacitas vindicatur. Non nulli auri puri partes aqua regis infuſa ſoluendas, ſolutasque arte curant praecipitandas. Quo facto calcem auri edulcant, eamque cum aliis rebus permiſcent. Superfunditur ſpiritus vini atque ex his tandem tinctura arte euocatur. Quod autem colorem ſuum haec tinctura non ab auro, ſed ab iſtis acceperit, quibus admiſceri aurum modo dictum eſt, id tum experimenta demonſtrant chemica, tum hoc, quod ſpiritus vini ad ſoluendam auri calcem non valet. Chemica enim arte tantum vtique auri, quantum tincturae inditum eſt, ex reſiduo, vt chemici loquuntur, reduci poteſt. Singulare huius rei documentum longe celebratiſſima illa ESSENTIA DVLCIS eſt, cuius producendi modus myſterium eſſe vel vulgo creditur, vel tamquam tale eſſet ſtudio mirum in modum ab officinatoribus ſuis occultatur ac diſſimulatur. Eſt vero ratio parandi eam ſequens. Primum *auri* ſolito purioris vnciam vnam a conuenienti ei aquae regis copia ſoluendam curant. *Albo* deinde eique ſummae bonitatis *ſacchari*, pondo ſemiſſi, exiguam aquae copiam infundunt, quo ſpiſſius ſoluatur: ſolutum vero tantiſper coquitur, dum colorem ex rubro nigricantem ſubinde induat. Quibus ſingulis ita comparatis accedit vtriusque coniunctio, ea quidem ratione, vt refrigerato ſaccharo aduſto aurum addatur ſolutum, ac coniuncta in vaſe ſubiectis prunis ſubinde incaleſcant, vbi bacillo ligneo vsque adeo inter ſe agitentur neceſſe eſt, dum ſingulis in-

time copulatis concretum vnius formae oboriatur. Tum hoc miſſum faciunt, donec cuncta refrigerauerunt, ex quo adunatum corpus in chemicum receptaculum vitreum denuo includunt, et adfuſo *ſpiritu ſalis ammoniaci*, ea quidem abundantia, vt ad digitorum trium altitudinem in receptaculo iſto ſuperadſtet, confeſtim hunc ſalis ammoniaci ſpiritum denuo arenae balnei ope ſenſim inde detrahunt: quem laborem ter curant repetitum. Tandem optimi *ſpiritus vini* tantum additur, quantum ſatis eſt, vt tinctura rite ſaturata adpareat. Haec ESSENTIA DVLCIS eſt, quam CONCENTRATAM vocant. Atque haec ſpiritu vini magis diluta in naturam eius facile abit, quae ESSENTIAE DVLCIS nomine ſimpliciter inſignita eſt. Reſiduum ex illis chemicum aurum complectitur; hoc inſuper ſubtiliſſime pulueratum curant, vnde PVLVIS ille NIGER, cuius ſingula grana octonis groſſis venire vulgo ſolent.

Ceterum pulueres illi, quos ſolares nominant, omnino ex auro confiunt, quod *modo* crudum, quaſi ornatus neſcio cuius gratia ſuperadditur, cuius auri bracteolae tenuiſſimae in iſtis cernuntur pulueribus, qui cordis roborandi cauſſa inuenti ſunt, vt in puluere Marchionis, itemque cephalico illo Michaelis, cet.; *modo* aurum chemica arte pulueratum admiſcetur, cuius generis cornu cerui auratum eſt; *modo* calx auri adſumitur, aurum nimirum aqua regis ſolutum, alcali ope praecipitatum, tandemque edulcatum; praecipue vero reſiduum iſtud ex tinctura auri chemicum, de quo modo in praeparatione eſſentiae dulcis verſatus dixi, eam in rem maxime prae-

ſtare

ſtare putant. Sed nolit committere medicus, vt, quae per ſe vim ad ſanandum nullam habent, tamquam multum ad curandos morbos valerent, vulgari implicitus errori in curatione adhibeat. Neque hoc, neque illo modo coniunctum medicamentis aurum quidquam ſalutare in corpore efficiet, tum quia ſolui nequit in corpore, tum maxime calx auri ſalibus inſuper ſcatet multis, quae calcem eam in corpore ſumme efficacem reddent, at cum maximo ſalutis detrimento. Eamdem enim, quae veneni vis eſt, calx iſta in corpore exſeret; inteſtina non tam adficiet, quam corrodet, neque corripiet ſolum partes, ſed conſumet, quem ad modum virus omne praeſentaneum, et emetica item vehementiſſima aluum purgantia. Complura autem iſti calci ſalia ineſſe experientia teſtatur, ſi aurum arte paretur fulminans: hoc enim edulcato plus auri reſiduum eſt, quam additum erat. Ex ſingulis auri in calce drachmis, totidem fulminantis auri redeunt drachmae, ſed ſingulae cum totidem amplius ſcrupulis; vt ſingulis auri in calce drachmis quaſi in edulcatione ſcrupulus vnus acceſſiſſe videatur. Intelligitur inde, quanta pars ſalium cum calce ſit permixta, cum calce auri inquam, per ſe ponderoſiſſima, ideoque corpori maxime pernicioſa, vt cetera ſalia metallica grauiora ſunt. Atque ex his omnibus tandem ſatis adparere cenſeo, aurum, quod in ſubſtantia, vti dicunt, adhibetur, in medicina remedium inane eſſe: illud vero, quod a ſalibus acidis ſolutum datur, ſeu auri calcem, omnino eſſe venenum. Sed mundus vult decipi, decipiatur ergo! Optimum ſane vſus auri, ſi non corpus ſanandi, certe rem me-

dici saepius angustam eximie locupletandi remedium est.

§. XXVIII.

Qvi olim medicinam faciebant, CALCVLIS, qui in ventriculo QVADRVPEDVM non nullarum reperiuntur, vsi sunt ex hac fere ratione. Perspecta ventriculi in animante natura, qua concoquuntur cibus et potio, quae accepta sunt, facile intelligemus, tortuosum hoc mirabiliterque effectum cibi et potionis omnis receptaculum idcirco arcere ac continere, quod recepit, siue illud acidum est siue humidum, propter eaque calore suo, quem multum habet, per certum tempus exterere, cogere ac contundere cibos, vt non nisi optimam ex his partem hauriat. Itaque in animalium ventriculo, quae ceteroquin exquisitissimis vescuntur herbis, nutricius succus exprimitur adprime salutaris, atque fabricae animantis eiusque sanitati maxime idoneus. Praestantissimus vero hic succus in animalibus natu maioribus, quia a ventriculo tritu ac calore suo non adhuc macerari satis conficique potest, coagulat et in globulos constringitur, quibus vis herbae inest maxima. Atque hi globuli calculi sunt modo dicti. Hactenus ex sententia veterum. At vero tales calculos non a teneris habet quadrupes, nec dum florente adhuc aetate est, sed illi in ventriculo tantum vetularum inueniuntur quadrupedum, quas vires in macerando subigendoque rite cibo deficiunt. Itaque calculi praeter naturam in istarum ventriculis sunt, e conditione oborti corporis morbosa. Ceterum calculi isti corpus lapideum sunt e rigidioribus plantarum fibris

et

et muco glutinoſo varieque craſſo, in ventriculo imbecilliori, ſenſim concretum. Diffractis enim calculis in medio cuiusque nuclei reperiuntur, e planta quadam nati, qui continuis putaminum ordinibus clauſi cernuntur, lamellarum inſtar, quas cepis detrahimus. Recens vero ex animali excepti non adeo duri ſunt, quales eos eſſe cernimus, qui in tabernis exſtant; ſed tum molliores exſiſtunt. Siccefcunt igitur ante, quam in tabernas veniunt. Virtus vero eorum medicinalis ſi quam habent, haud a lapidis natura proficiſcitur, verum ei plantae accepta referenda, abs qua orti ſunt. Quam parum autem ſucci plantae ſalutaris in tali calculo latere poteſt? Intellectu facile eſt, ne tantum quidem calculo ineſſe poſſe, quantum ipſa planta inſuper poſſidebit, ſi exſiccata fuerit. Nam praecipuae de planta partes in ventriculo iam dudum deceſſerunt, a liquore ventriculi extractae. Quibus ſcitius perſpectis haud eſſe videtur, quod praeclaris, vt vulgo fieri adſolet, laudibus ornemus calculos iſtos animalium. Liceat iam calculos nominatim recenſere.

Aegagropila in ventriculo rupicaprae vel primo vel ſecundo reperitur. Medicatam vim diaphoreticam, reſoluentem, antepilepticam, cephalicam atque alexiteriam habere dicitur. Atque hinc eſſe intelligitur, quare aduerſus conuulſiones, dyſenteriam morbumque articularem, itemque in pleuritide, in malignis morbis et contagioſis, in variolis, in partu difficili, atque ventriculo neruisque imbecillioribus remedio eſſe coeperit. Aegagropila autem e rigidis radicum doronici ligneis fibris concreta eſt, praecipue vero ex eius pilis, quos lingua delam-

lambere ſolet rupicapra, tandemque ex muco ventriculi glutinoſo. Summa hieme enim haec animans doronici radices effoſſas ex niue eruit, manditque libentiſſime. Et quum rupicaprae, ſi vel de excelſiſſimis montibus deſpiciant, vertigine nunquam corripiantur; huius rei cauſſam in virtute doronici neruos roborante quaerunt, ideoque et aegagropilas et radicem doronici pro ſummo remedio contra vertiginem habent.

Bezoar, ex oriente itemque ex occidente, contra venena, quaecumque ſunt, adhibetur, ſiue intus in homine enata ſint, ſiue contagio accepta, ſiue per ſtomachum velut potu quodam corpori infuſa. Itaque praecipue in peſtilentia celebratum eſt. Praeter ea eiusdem bezoar auxilio et a vermibus, et pleuritide, et ex febri lenta, ab ictero, ex inteſtinis, ex atrae bilis morbo, lipothymia, vertigine, epilepſia, cordisue palpitatione, itemque e dyſenteria, a calculis, ex obſtructione menſium, partuque difficili laborantibus medicari auſi ſunt, atque etiamnum paſſim audet vulgaris medicantium turba. Itaque etiam hoc remedio contagionis cuiuscumque tempeſtate contra morbum, abs quo timent, vti optime poſſe rentur: atque virtute bezoar valere praedicant antepileptica et alexipharmaci, itemque acidum abſorbendi, acrimoniam temperandi, vrinam mouendi, calculos ſenſim eiiciendi, corque roborandi maxime egregia. Fragmenta bezaar ſi quis in annulo gemmae loco geſtaret, hoc ſoporiferum remedium fore autumabant. Sed hoc bezaar itidem ex mala digeſtione eſt animantium ſenum et decrepitarum, quibus plerumque deficientis concoctionis vi-

tium

tium naturale eſt. In naturam ſic bezaar lapidis mucidi transformatum eſt, e plantarum fibris et liquore ventriculi glutinoſo concreti, cuius meditullium palea plerumque conſtat vel pilis. Frequentius in ventriculo quarto ceruicaprae inuenitur.

In primis vero notatu dignus eſſe *porcinus lapis* videtur. Experimentum, quod in hoc lapide magno cum ſtupore inſtituunt, eſt ſequens. A catella et circulis aureis, ad quos adnexus eſt lapillus, dependet ſub aqua viua vel caeleſti. Quo facto aqua ſaporem inde accipit amarum: quum tamen lapis de maſſa ſua, quatenus ex pondere cognoſcitur, aquae nihil communicauiſſe videatur. Verum enim vero lapis iſte, quantulus quantulus eſt, ex bile conſtat coagulata et vitioſa. Namque idem lapis niſi in fellis veſicula hyſtricum, tum natu grandiorum tum diuturno tandem morbo intabeſcentium, non inuenitur. Quid vero? Nonne febribus lapidem iſtum putridis, tamquam ſalutarem medicinam, oppoſuerunt? Nonne diaphoreticam, alexipharmaci et ad cordi robur conciliandum habere efficacitatem lapidem iſtum ſomniauerunt? Nonne aduerſus colicos dolores, aduerſus icterum, choleram, apoplexiam, epilepſiam, morbum articularem, cruciatus podagrae, cunctasque viſcerum obſtructiones, itemque febres inde ortas, ad calculos comminuendos eximium atque proprium medicamentum eſſe putant? Quod autem ad illos morbos malignos et putridos adtinet, is lapis in his remedium vere peſtiferum eſt, quia bilis humor alcalinae indolis, alcali vero facilius ſanguinem magisque putrefacit. Sed in iſtis morbis,

qui e lympha glutinosa ingrauescunt tam exigua dosis, quantilla dari solet, nihil fere efficiet: dosis vero caussae morbi remouendae aliquantum magis accommodata, medicamentum foret pretiosissimum, quum singulis diebus per aliquot hebdomades, terque quaterque vicena grana minimum adhibenda sint lapidis eius rarissimi sumtuosissimique. Nihiloque secius efficaciora exstant remedia, virtute resoluente abundantius praedita, ac ceteroquin in eiusmodi morbis porcino lapide praestantiora. Fac vero bilem in hoc morborum genere optimum esse remedium, haud vitiosam illam, sed incolumem sanorum animalium bilem inspissatam adhiberem. Finge etiam, sine deprauata ista bile morbum commode sanari non posse, eodem successu calculi ii quoque, qui in aliorum animalium fellis vesicula inueniuntur, in curatione admoueri poterunt, quippe quae efficientia sunt pari.

§. XXVIIII.

MEDICAMENTORVM tabernae porro complures CERVI partes, medicinae loco, possidere solent. Plures hae sunt, quam quae recenseri a me omnes possint. Itaque strictim non nisi ea, quae medicum vsum propius adtingunt, persequi ordiar. Summatim vero ex hac fere ratione in clinicen recipi *cerui partes* coeperunt, quia ceruus prae ceteris animantibus maxime longaeuus esse credebatur, vnde medici omnium olim vtilitatum ex signatura rapacissimi complures cerui partes in medicinam receperunt, quasi vita hominis earum vsu longior reddi posset. Haec medicamenta in morbis tantum

tum non omnibus longe celebratiſſima maximeque frequentata ſunt, mirum in modum cunctis aliis praelata, magnoque ſumme efficacium, certiſſimorum, optimorum itemque aphrodiſiacorum atque alexipharmaci nomine collaudata, et a credula tandem multitudine magno emta. Atque haec nanciſci alio tempore noluerunt, niſi binorum S. MARIAE dierum interuallo; alia tempeſtate minorem vel nullam virtutem ineſſe rati, praecipue caudam cerui horruerunt, quaſi ſumme venenatam partem. Ceterum de ceruo adſumta ſpeciatim haec ſunt.

Oſſa de corde cerui non ſecus ac alia oſſa ſanitatis remedia eſſe poterunt. Sunt vero oſſa illa nihil, niſi arteriae aortae fibrae, quas aetate rigidiores, duriores atque inde contractiores factas ſumma tandem ſenectus adeo durauit, vt omnino in oſſis naturam conuerſae videantur. Attamen ea proprium in corde firmando, corque a contagionis malignitate tuendi, partum conſeruandi, grauidisque maximopere cauendi remedium eſſe credebantur.

Cornu cerui modo ope ignis, modo ſine igne parari ſolet. Philoſophica autem eius praeparatio, (ſic enim a chemicis adpellatur), hodie in officinis plerumque ita inſtituitur. Cum calce viua et aquae viuae copia tantiſper percoquitur, dum ab omni principio, quod *gelatinoſum* dicitur, liberum redditum eſt Glutinoſa haec autem materia in cerui cornu, dum crudum eſt, recte optima pars et ſalutaris eſſe cenſetur. Haud itaque vacuum ab hac glutinoſa parte cerui cornu eam efficientiam in corpore exſeret, quam haberet ad humorum acrimoniam

 tem-

temperandam aperiendosque transpirationis exitus, si glutinosi sui non foret expers.

Exusto cornu cerui vires adscribuntur anthelminthicae atque alexipharmaci, quarum nullas possidet. Calcinatione enim perierunt omnes partes efficaces: eae autem, quae remanserunt, idem fere in corpore praestabunt, quod terrae, quaecumque sunt, absorbentes efficere valent.

§. XXX.

CHELIDONIVM MAIVS resoluendi facultatem praebere videtur, immo vero habet aliquam, si recens lecta adhibeatur: haec autem tanta non est, quanta ad curandum icterum ex iecoris obstructione ortum requiritur. Nihilo minus, quum herba ipsa, tum aqua ex illa distillata in regio morbo sanando etiam atque etiam frequentatae sunt. Sed chelidonii aqua idem fere, quod aqua viua vel caelestis, ad corporis sanationem valebit: etsi eadem magno vsui fore veteres arbitrati sunt, qui in oculorum imbecillitate extrinsecus oculos hac aqua humectare solebant, opinione decepti, ac si hirundo infantibus pullis chelidoniam diligenter praeberet, vt eius vsu fetus visione citius instrueretur; quem ad modum flauus in succo chelidonii color hortari veteres videbatur, vt crederent, hanc herbam ictero mederi.

§. XXXI.

MIRVM in modum CINNABARIS, seu *minii* potius vt PLINIVS dicit, laudatur in corpore virtus, tum factitiae tum natiuae, quasi demulcendi, temperandi, glu-

glutinoſos humores reſoluendi, obſtructa vaſa aperiendi, dolores mitigandi, ſpaſmos vitandi, reficiendi confirmandique vires facultas illi data ſit maxima. Itaque minium hoc ſingulis aduerſus ſpaſmodicam tonici motus excandeſcentiam, epilepſiam, ceterosque morbos conuulſiuos, cephalaeam, oculorum valetudinem, dolorem artuum et rheumatiſmum medicamentis vtiliſſimum eſſe exiſtimabatur. Cuius quidem magnificae praedicationis cauſſam non miror, ſi ſignaturae deditam ſectam vel HELMONTII ſcholam cogito, quum apud vtramque eximie rubicundus color ſacram fere auctoritatem haberet, quippe qui ſanguini conueniret maxime, et pacem conciliare ac beneuolentiam Archaei poſſet, excitatumque Archaeum placare ac lenire, vt mox adquieſceret. Inter recentiores in vtramque partem de minio etiamnum disputatur. Nam, quibus adridet adhuc eius vſus, potiſſimum hoc cauſſantur, cinnabarim ad mercurialium medicamentorum modum in corpore agere, nimirum humores reſoluere glutinoſos, minutiſſimosque vaſorum exitus aperire: quum humores corporis iuſto craſſiores, et vaſcula capillaria oppleta morborum diuturniorum vltima plerumque origo ſint, dubitari minime poſſe, quod cinnabaris dictis morbis vere medetur. Iam vero, inquiunt, cinnabarim ad mercurialia pertinere conſtat; ſed ad lentorem humoribus demendum, ad obſtructionem in minimis vaſculis tollendam mercurialia medicamenta mirum quantum valent, ergo cauſſam morborum illorum cinnabaris remouebit. Concedo, plurima mercurialia hoc optime poſſe: non tamen omnia, neque vero cinna-

baris hoc efficiet, ſed quibus peculiaris hoc efficiendi ineſt virtus. Quod enim vel ſolui plane nequit ab humoribus corporis noſtri, vel non in particulas diminui ſubtiliores, immo longe minutiſſimas poteſt, et ſic aptum demum reddi ad ingrediendum omnium minimos venarum tubulos, quem ad modum mercurius dulcis in minima corporis vaſcula deuehitur, itemque mercurius viuus, ſi cum pingui materia permixtus fuerit et cuti extrinſecus illitus, et quem ad modum ipſi cinnabaris vapores, ſi prunis ſuperiniiciatur, reſorbentia corporis vaſa penetrare valent, quod, inquam, non ſimili ratione in minutiſſimas expelli venulas poteſt, nec id in corpore praeſtabit, quod per naturam mercurialia in morbis illis praeſtare dicuntur. Cinnabaris vero natiua et praeparata nec ſolui poteſt ab humoribus noſtris, nec ſi vel in ſubtiliſſimum pollinem contrita fuerit, ei tamen ad ſanguinem tranſitum vaſa lactea negant: cinnabaris igitur inane medicamentum recte cenſetur. Praeter ea cinnabaris e mercurio viuo ac ſulphure conſtat, ignis ope arctiſſime inter ſe connexis, ita, vt ab humoribus humanis non ſolui poſſint, et ſi frequentius adhibetur in corpore, eumdem fere effectum exſeret, quem terrae medicatae, — debilitantur inteſtina cum ventriculo, lymphae vaſorum vicinorum orae paullatim opplentur. Quid vero, inquiunt, nonne diuturnum cinnabaris vſum in corpore ſaliuatio conſequi ſolet? Sed his reſpondeo, me de veritate eius effectus non poſſe non dubitare. Noui quemdam, qui vno hauſtu totam eius vnciam ſumſit: nullus ptyaliſmus ſequutus eſt, at per tres dies ſat multa

ac

ac molesta ponderis sensatio in ventriculo et in abdomine, quam tandem ordinaria cinnabaris omnis cum faecibus excretio excepit. Accedit, quod aethiops mineralis, abunde in singulos dies per multum temporis spatium glutitus, corpus obsidere sine vllo saliuationis effectu solet, quum tamen mercurius in illo magis liber, certe non aeque arcte vi ignis cum sulphure coniunctus sit: eo minus saliuatio a cinnabari metuenda esse videtur. Tandem sunt, qui hoc documento, idque maximo esse putant, quod cinnabaris ab albumine soluatur, liquore, qui ad naturam lymphae hominum quam proxime accedit. Sed in hoc fallacia latet. Cinnabaris multis modis adulteratur. Namque ipso altero minii genere, quod *secundarium* PLINIVS dixit, hodie vero minium simpliciter nominatur, maxime etiam adulteratur minium, quod cinnabarim Graeci vocabant. Atqui si de cinnabari, pura atque ab omni mangonio vacua dicatur, quod ab albumine solutum sit, error in experientia palam est. Albumen liquor admodum tenax, in quo si puluis ille subtilissimus cinnabaris positus fuerit, hic in albumine, auri bracteolarum in aqua instar, fluitabit, neque vero re ipsa, sed primo tantum intuitu in vnam formam concreta esse ambo videbuntur. Fac vero, aqua adfundatur, et hoc modo albuminis tenacitas minuatur, confestim omne minium ad fundum subsidit. Hac in re ipse quidem periculum nuper feci. Subtilioris minii pulueris drachmam vnam cum albo oui vnius commiscui: mixta leni calori exposita curabam octo dies, quo interuallo vas iterum iterumque concutiebam. Ex quo simul

mul atque aqua adfuſa eſt, idemtidem omnis illico cinnabaris ſubſedit. Idem ſimili experientia deinde comperi, quum drachmam cinnabaris vnam ſaliuae vnciae mixtam duodecim amplius dies in calido loco collocatam curarem, et reliqua memorata ratione tractata eſſent. Quodſi autem altero, quod, furto ſeplaſiariorum opportuno more, alienis rebus coloris rubri, et quae facile ab aqua ſolui poſſunt, varie adulteratum eſt, quale plerumque in tabernis emitur, quodſi hoc, adulterato inquam, dictum experimentum factum eſt, error in confeſſo, res aliena videlicet, non cinnabaris ab albumine ſoluta.

§. XXXII.

NESCIO quo fato elati medici quidam in tinctura e CORALLIIS RVBRIS extrahenda non ſecus adlaborauerunt, ac ſi ſummum omnium diuitiarum theſaurum, ſeu philoſophorum lapidem inueniendum, anhelauiſſent. Quid, quaeſo, corallia enim poſſident, vt tincturae inde egregiae tantae vires tribui poſſint? Conſtant corallia rubra primum terra calcaria, deinde paucis ſalis partibus, perexigua denique ferri quantitate, abs qua color ruber proficiſcitur. Salium vero particulae calcariae terrae coniunctae ita apte cohaerent, vt nec ſalis, ne dum ferri partes ſeparari per liquores, in primis humanos, a calcaria terra poſſint. Quid igitur? Nonne commentatitia eſt, quae vulgo maxime laudatur, et hodie idemtidem coralliis rubris ineſſe dicitur, adſtringens virtus? Archaeo ſcilicet volupe eſt, in corde, ſede ſua, videre extrinſecus illatum rubrum colorem.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

In CRYSTALLO MONTANA alia a veteribus, et hodie alia redditur ratio, quare vtilis ſit. Priſcis eam ſignatura commendauit, quoniam plerumque colore albo eſt Itaque iſtam nutricibus olim praebuerunt, lactis augendi gratia, quam ob cauſſam etiam in albis mulierum fluxionibus datam iſtam eſſe legimus. Noſtri medici exploſa de ſignaturis ſententia nihilo ſecius hanc cryſtallum in fluxionum morbis adhibere pergunt. Namque aduerſus diarrhoeam, dyſenteriam, choleram, febres bilioſas, dolores colicos, immo aduerſus morbum caducum hoc medicamentum vtiliſſimum eſſe adſerunt. Sed ne ſine ratione agere videantur, diſcernendam eſſe docent morbi cauſſam. Si haec enim acrimonia bilis vel acidum quodcumque in primis, vt loquuntur, viis eſſet, cryſtallum illam materiam acrem cauſticam eximie abſorbere, quo facto ſimul adſtringendi virtutem haberet. Haec illi. At vero cryſtallus montana lapis eſt, qui terram nullam calcariam complectitur, verum terram, quae ſolito fortiori igne ſubiecto in vitri materiam abit. Quid vero, num liquor in corpore, quicumque eſt, terram adeo duram ſoluet? Vnde vero cryſtallus medicatae terrae virtutem, abſorbendi videlicet, habeat, ego certe non intelligo, quum ne quidem fortiſſimum acidum vitrioli eam ſoluere poteſt. Hoc autem praeuideo, futurum eſſe, vt ventriculum atque inteſtina ab huius lapidis mole grauiter adficiantur, eorumque tonus ſubinde frangatur. Quid vero eſt, quod in tali morbi cauſſa, qualis bilioſa acrimonia eſt vel acidum, quod inteſtina vexat,

non cancrorum lapides, quum ad abſorbendum potiores tum corpori humano potius conuenientes praeferantur?

§. XXXIV.

CYNOSBATI SPONGIOLAE per ſignaturam medicina factae ſunt. Vermes expellere dicuntur, fungus enim, vt deinceps dicetur, vermis domicilium cuiusdam eſt. Vires inſuper habere cynosbati ſpongiolas antepilepticas praedicant. Quod autem ad naturam huius ſpongiolae adtinet, obſeruatione diſcimus, eam vitium extuberans foris in ramo roſae ſilueſtris eſſe, non quidem ſua ſponte et caſu enatum, verum ab inſecto ortum trahens, quod a perilluſtri LINNAEO *cynipbis roſae* nomine inſignitur. Haec cynips aculeo ſuo fruticis ramulum perforat, et ouula ſua ibi ponit. Sed diſciſſis hoc vitio fiſtulis vtriculisque ramulus ſuccum non amplius admittit aptum alias ei parti alendae. Quo facto exſuperantes ſucci guttulae ſubinde denſantur, laeſae partes creſcunt, extuberant, et fungum illum creant comoſum atque hirſutum, in quo vermis latet. Itaque efficientia omnis, quae iſti ſpongiolae eſſe creditur, vel a ſalis ſubtilioris, quo cynips praedita eſt, ducenda videtur, vel a cynorrhodi natura. Illa ſtimulantem et reſoluentem virtutem habet; haec adſtringentem. Quum autem inſectum illud admodum paruulum ſit, vis inde reſultans integra non aſſis eſt, ne dum in memoratis morbis ſemiſſis facienda. Ceterum plebs ſponigiolas eas colligere, et ceruicalibus infantum ſupponere ſolet, ſperans futurum, vt per hoc quieti tradantur vagientes et ſomnum capiant. Admira-

mirari ſubit, hunc roſarum fungum non remedium inſuper factum eſſe contra ſtrumas, quum ſimilitudinem cum ſtrumis maximam habeat, vel cur ex ſimili ratione non pila quoque marina et ſpongia, ſeu marinus fungus, ſcrophulas amoliri etiam nunc compluribus videantur.

§. XXXV.

Adeo blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo, vt nec taedii moleſtia ab inſolentioribus ad rem medicam rebus, quid? ipſis BESTIARVM EXCREMENTIS haud abalienati, verum, leuato delicatiori faſtidio adacti ſint homines, in fimo etiam et ſtercore animantium vim medicatam quaerere. Non poſſum, quin ſordidae huius medicinae mentionem aliquam ſaltem faciam.

Etiamnum quum medicis minutis tum vulgo vſus eſt, *excrementa* adhibere *canis*, quae etiam *albi graeci* nomine veniunt. Vulgus ea infantibus recens editis in os inſerit: cuius quidem vſus vix aliam cauſſam inuenio, ac naturam canis, quaſi hoc remedio ventriculum infantis potentiorem facultatem adquireret adſumtos cibos firmiter digerendi, qua vi canes ceteris animantibus antecedere cernuntur. Medici haec excrementa etiam nunc crebro vſurpant: primum quidem in anginae morbo gargariſmatibus admiſcent, fortaſſe, vt liquor e ventriculo canum qui ipſis etiam ad excrementa deuenire videtur, fortisſima vi ſua reſoluente, qua oſſa emollit penitusque disſoluit, tumores etiam morboſos diſtrahat, et ſic inflammationem reprimat. Itaque idem illud ſtercus ad alios quoque tumores emolliendos, immo ad verrucas tollen-

das imperant. Sed ſi ab hac ſtercoris canini virtute tubera diſcutiendi diſceſſero, ei adhaec abſtergendi, aperiendi atque exſiccandi vim vindicauerunt. Tum extrinſecus hoc in vlceribus malignis ſanandis, interne vero in dyſenteria et doloribus colicis adhibuerunt, quia canes his morbis non laborare videmus.

Magni facit vulgus inſuper *fimum ouillum*, quo maximopere in variolarum ac purpurae morbo, vt puſtulae ſurgant, vti ſolet, plerumque cum helenite infantibus datur bibendum. Sed ita vſu venit, vt ſequax multitudo non medicum audiat, qui bene adhibita ratione diſcernit, quae ſalutaria ſunt corpori et quae exitioſa euadere facile poſſunt, verum ſuperſtitioſam anicularum conſuetudinem libentius ſequatur, et mediaſtinum quemque imperatorem vitae liberorum necisque fieri permittat. Fimus ouillus vi ſua ſudorem elicit, eumque abunde manare facit facileque ſanguinem putredine corripit. Sed ſi quid vnquam in morbis deſperatum dici remedium poterit, is profecto in exanthematibus fimus ouillus eſt, quum in ſumma humorum corporis reſolutione ſanguinem putreſcere non tam ſinat, quam efficiat, atque ex variolis ſingulis diſcretis communes reddat confluentes. Nempe vulgare hoc remedium itidem ex ſignatura in medicinam receptum; oues enim puſtuloſis morbis nimium quantum obnoxiae ſunt.

Pauonum fimus vertiginoſis mire commendatur et epilepticis. Cuius rei lepidam cauſſam forte eam eſſe ſuſpicor, quod pauones ſine vertigine loca petunt altiora, et in tectis libenter ſedent aedium excelſis. Fortitudo cerebri

rebri, qua pauo ex praecelsis atque editis locis sine vlla vertigine oculos in profundam coniicere altitudinem non pauet, haec quasi in reliquas quoque corporis partes descendit, et in singulas distribuitur, vsque dum cum fimo semper quidquam excernatur, qui fimus ad roborandum epilepticorum cerebrum ex hac fere ratione valere videtur.

§. XXXVI.

In primis vero HAEMATITES meretur, cuius iam mentio fiat, et de cuius virtute etiamnum celebratissima explicatio solito enodatior reddatur. Quoniam haematites colorem habet rubrum, cruori similem, ab antiquissimis inde temporibus, qui medicinam faciebant, in cruentis fluxionibus cohibendis hoc remedium, quum extrinsecus tum interne, adhibuerunt, quasi efficacius et fortius exsisteret nullum. Immo vero recentiores summa sub cautione adhibendum esse docent, quoniam in adstringendo tantam in se contineret efficientiam, vt si supra granorum denorum pondus in singulas portiones daretur, pro medicamento venenum exsisteret corpori: itaque cautius singulas doses intra quaterna et dena grana consistere iubent, quae excederet exitiosam fore. Adsertum scilicet comprobant. Martialia medicamenta, inquiunt, praesertim terrae martiales vehementer adstringunt; sed haematites martiale remedium est, ergo vi pollet adstringendi. Praeter ea, pergunt, quia haematites in ferri naturam nondum transiit, nec ferrum crudum est, sed materia potius terrea, etsi nimis concreta compactaque, magis tamen idonea, quam pleraque martialia, quae

 a ven-

a ventriculi noſtri liquore ſoluatur, eamque ob cauſſam hic lapis cunctas reliquas martiales terras mirum in modum antecellit. Sed hi ſi didicerint, primum, in haematite praeter ferri materiam arſenici principium et terram latere, quae ignis vi in vitream materiam abiit, deinde haec adeo coniuncta ſibi inuicem ac concreta eſſe, vt vix diſſolui patiantur a chemico menſtruo longe fortiſſimo, denique ne ſtygiam quidem aquam, proprium alias in chemia ferri menſtruum, ad ſoluendum haematiten valere, haec, inquam, ſi didicerint, opinionem tandem, quam a maioribus acceperunt, et quam in ſcholis auditione, quaſi cum lacte matris, ſuxiſſe videntur, reformidabunt ipſi, qui expertes verae haematitae naturae, more tam indigno ſapientis medici grauitate atque conſtantia, quae non ſatis explorate percepta erant et cognita, huc vsque ſine vlla dubitatione defenderunt. Sed ne quis amplius dubitationi locus ſit, experientiam hanc in rem enarrabo ſingularem. Haematitae ſemiſſi drachmae ſuffudi aquae fortis drachmas ſex; haec tum in calido loco poſita vndecim curaui dies: nequidquam de haematite ſolutum. Itidem perfuſum haematiten fumante nitri ſpiritu omnium fortiſſimo curabam; ſolutionem expertus nullam. Porro haematitae ſemiſſem drachmae cum ſemiſſe vnciae ieiunae ſaliuae miſcui; mixta vero continuo leni calore confouenda decem et ſex dies curaui, nec hilum deceſſit ex haematite. Adhuc per ſtomachum e ventriculo liquorem ieiunum elicui, eiusque vnciam vnam, atque haematitae vnam drachmam in peculiare vitreum vas indidi, totidemque dies haec tepide habita ſine vllo diſſolutionis

eſſe-

effectu ſunt. Quae quum ita ſint, quid, quaeſo, eſt, cur omnes medici vno ore conclament: ea eſt haematitae natura, vt ſolui omnino ab humoribus humanis poſſit, vt in primis, quem ad modum loquuntur, viis in vitriolum transformetur martiale, vt hinc adſtringendi efficacitatem maximam habeat, vt tandem per ieiuni et ilei inteſtini ductus ad meſenterii vaſa lactea, vlteriusque in ciſternam lumbarem emitti, indeque effuſus per ductum thoracicum in venam ſubclauiam poſſit, et ſic ſanguini demum permiſceri ac confundi. Atque ſic, inquiunt, in corpore vim ſuam praeſtat inſignem: dilaceratas enim vaſculorum fibras conſtringit, quo ſanguinis fluxiones ſalutariter inhibentur! Haec illi. Quod vtinam ſingulari illuſtris PRAESIDIS mei experimento, quod in ſuo ipſe corpore inſtituit, ſaltem cederent. Quum enim iam dudum ex iis rationis ſanae principiis, quae modo recenſui, minime dubium eſſet PRAESIDI, haematiten plane iners fore medicamentum, ſicut fere omnia ex ſignatura recepta remedia, ſummorum tamen medicorum laudes, quibus vno ore et conſenſu haematitae vim adſtringentem celebrauerant, adeo tandem dignatus eſt, vt in ſuo ipſe corpore remedii iſtius periculum faceret. Per ſex dies quotidie mane ſumſit drachmas binas haematitae praeparatae, et vt haematites acidum inueniret in inteſtinis, quotidie ſimul ſex pira maiora comedit et ſolers cauit, quo minus olera pranderet vel alios cibos emollientes. Audax et temerarium facinus! audio multos dicere, ſed quorſum tandem periculoſiſſimum inceptum iſtud euaſit? Nonne pertinaciſſima alui

ob-

obſtructione laborauit? Vſu venit, quod praeuiderat illuſtris PRAESES, effectus haematitae vulgaribus opinionibus minime reſponderunt, aluum enim non ſuppreſſam habuit, et venter haematite excrementis immixto, diſtincteque naturali ſuo colore rubro conſpicuo diebus ſingulis exoneratus eſt. Fac, ferreae terrae quidquam deceſſiſſe vi acidi, et cum adſtringentibus pirorum partibus deuinctum fuiſſe, excrementa haud rubro intermiſſo colore, verum atro non potuiſſent non egeri. Semper enim atramentum excritur ex partibus vegetabilium adſtringentibus et vitriolo ferri commixtis. Idem illud experimentum deinde in meo etiam corpore aemulatus ſum, eadem expertus, quae de illuſtris PRAESIDIS mei experientia modo retuli. Erunt fortaſſe, in quibus cogitatio tacite ſuboriri mihi videtur, incredibilem eſſe audaciam, qua quis elatus ſupremum corporis periculum adiret, ſi octies quindena haematitae grana in dies ſingulos deglutiret, quum quindecim grana in extremum obſtructionis diſcrimen hominem deducere valeant. Perniciosiſſima, cogitabunt, viſcerum conſtrictio, vehementiſſima corporis valetudo et mortifera conſequi facile potuiſſent! At ego vero, ſi a ſenſatione ponderis in ventriculo diſceſſero, incommodum inde percepi nullum. Quaſi vero non ſapor haematitae admodum adſtringens hoc abunde teſtaretur, audio multos obloqui, haematiten re vera ad naturam adſtringentium remediorum pertinere. At mea quidem guſtatio nihil vnquam adſtringentis in haematite ſapuit, etſi eum ſaepe longiſſimum temporis ſpatium in ore retinuerim, vbi idem ſentie-

ſentiebam, quod percepi, ſi in ore puluerem terrae abſorbentis tenerem. Quodſi autem vel vnquam cohibuiſſe aluum haematites praeparatus dicatur, hoc certe nulla alia, ac terrae abſorbentis, ratione efficere potuit, nimirum opplendo oblinendoque glandularum ora, vnde liquor ſuppeditatur ſalutariter inteſtina lubricans. Adeo fallax eſt de haematite vulgaris error, tum in ratiocinando de virtute eius monſtroſa, tum in ipſo guſtationis ſenſu, vt didicerint neceſſe ſit falſiſſimam opinionem, quam deinde alios docuerunt, atque etiam nunc publicant ſine enucleata rei perſpicientia, iurantes in verba magiſtri. Verum enim vero in tam difficili atque ancipiti morbo, qualis haemorrhagia eſt, medicus, cuius vera caritas et reuerentia ſit, repudiatis ſcite errorum fontibus rationem bene adhibebit, et ipſe ſollicitus atque anxius de ſalute aegroto reddenda, ſolers etiam, cautus atque prouidus erit in remediis veris, ſalutaribus, minimeque dubiis adhibendis. Viri enim boni et ſapientis medici non eſt, in tam grauiſſimo morbo, vbi vita hominis agitur, tamquam ludere interim par impar poſſet, in extremo vitae periculo ad haematiten, medicamentum inane, confugere, et non rationi, ſed auctoritati pertinaciter inhaerere maiorum.

§. XXXVII.

HORRENDVM, eo vsque rapaciſſimorum quaeſtus cuiusque homuncionum fraudulentas artes progredi potuiſſe, et credulae multitudinis vsque adeo amentiam, vt imponi ſibi paſſi ſint homines hominum annos abhinc emortuorum cadaueroſa carne, tamquam egregiis veſci

M medi-

medicamentis. Immo vero ſingulas hominis partes praeparauerunt, et in medicinam ſuſceperunt veteres, quaſi Archaeus, poſt mortem ſuperſtes et in hac vel illa parte reconditus, ſic cum medicamento in corpus tranſiret viuentium. Nonne vero Archaeorum alter alteri familiaritate coniunctus vexare corpus ſuum obliuiſcetur?

Sed iam non de fabuloſa PLINII retro aetate, quae multa medicamenta ex homine deſumſit a PLINIO eluſa, exponere ordiar: verum de iis, quae noſtra tempeſtate frequentiora ſunt, EX HOMINE MEDICAMENTA. Quorum primum *mumiae* ſunt, quae nobis Alexandria aduehuntur. Mumia vulgo omnis e ſepulcris eſſe creditur Aegyptiorum vetuſtiſſimis. Condiuerunt Aegyptii olim mortuos: qua in re incredibilem artem callebant, per nares educendi omne pollingendi cerebrum, vacuo eius loco optimis aromatibus repleto; quo facto corpus, quam longum erat, variis aromatis circumlitum rectis et transuerſis cancellatim fasciis tanta arte circumuoluerunt, vt, quamuis linearum nebularum ſupra aliam alia directo et tranuerſo ordine plus ſextuplici vice explanata eſſet, faciei tamen ſimilitudo et ſingulorum lineamentorum expreſſio maxima cerneretur. Hac ratione conditos domi ſeruauerunt, vt quam maxime permanerent diuturna corpora. Haec hodie forte inuenta mumiae adpellantur. Minima autem mumiarum pars, quas emaces Europaei hodie pro medicamento deuorant, ex vetuſtisſima illa pollinctura eſt. POMETVS narrat, Iudaeos Alexandriae cadauera ex noſodochiis pro certa pecuniae ſumma accepta hominum pridem, peſtiferis ſaepe morbis

bis abſumtorum, non nihil pollingenda curare, ea quidem ratione, vt haud iſta priſco more condiant, ſed viſceribus priuata myrrhis, aloe et magna aſphalti quantitate compleant et circumlinant, ex quo in furnum conduntur, vbi iſta torrenda curant. Haec mumiae ſunt, quas ad Europaeos mittunt, vbi maximi penduntur. Facile vero intelligitur, in his cadaueribus multa e lue venerea, ex ſcabie, vel ex alio morbo foediſſimo mortua, immo vero quae ipſa peſtilentia conſumſit, eſſe poſſe. Itaque Chriſto addicti tam inquinata noſocomii cadauera glutientes barbaros carniuoros ſuperare immanitate didicerunt. Haec ſunt, quae de mumia, medicamento, ſapientes medici hodie ſentiunt. Cui hoc accedit, quod virtus medicata, ſi quae ineſt mumiae, omnis a gummi et reſina Aegyptiorum deducenda ſit; at vero cui, quaeſo, exploratum eſt, quale gummi et quanta eius copia in conditione ſit adhibitum? Id quod quum medicum fugiat, nonne ſuſpectum vere, nonne dubium ſaltem mumiae remedium ipſi ſit? Vel quod maius eſt, quam ob cauſſam gummi ipſe, idque ſolum, non praeferat medicus? In tabernis hodie quum *mumia puluerata* tum *eſſentia* exſtat, quae vulneribus ex infelici prolapſione vtiliſſima habetur, et cui multum mumiae ineſt.

Praeter ea ex homine inter medicamenta relatum eſt *cranium* malefici, aliquo ſupplicii genere ex. gr. per rotam vita priuati. Proprium hoc aduerſus capitis morbos, praecipue vero aduerſus comitialem morbum remedium habetur. Quondam quidem efficientiae fabuloſae ſtellarum patroni ita mihi de tali cranio meditati eſſe videntur:

 quo

quoniam morbus nullus cerebrum eiusmodi hominis laesit, vires suas adhuc integras possidet, quas stellae efficientia sua interim mirum quantum adauxerunt, et in hominis sanitatem conseruauerunt. At virtutem vero medicatam nullam habet illud cranium, certe non aliam, ac os crudum quodcumque vel cornu cerui crudum, quod pro abominando cranio libentius adhiberem, si vel hoc, vel illud, cranium, epilepsiae mederi valeret.

Secundae partus humanae exsiccatae puluerataeque aduersus scrophulas atque epilepsiam, et, per signaturam item maximam, ad celeritatem partui reddendam mirabilem in modum valere hodie creduntur. Sed quum nihil, nisi caro humana sint, et praecipue compluribus vasculis sanguinem ministrantibus constent, nec contra scrophulas, neque epilepsiam, ne dum in partu leuando quidquam possunt.

Olim alia insuper ex corpore humano medicamenta facta sunt, vt *sanguis hominis* calidus, de quo supra, *menstruorum* partes exsiccatae, *vngues*, *aurium sordes*, *vrina*, *sudor*, *excrementa*, *vesicae calculi*, alia, quam futilem medicinam iam satis riserunt sapientes.

§. XXXVIII.

LAPIDVM PRETIOSORVM seu *gemmarum* maxima gratia, perrarus numerus suusque gemmans color est, quae gemmas praesertim in medicina etiam aestumatissimas reddidit, tamquam pretiosa omnia per se medicamenta forent longe exquisitissima. Complu-

plures vero e lapidibus per signaturam indroducti, vt sapphirus propter colorem cyaneum in oculorum valetudine, amethystus, carchedonius carbunculus, quem granatum vocant, hyacinthus, rubinus, atque sarda in fluxionibus cruentis propter colorem rubeum suum et rutilum. Attamen nostratium quoque medicina multos lapides possidet, nempe quia vim corroborantem iis inesse putant, quam ex ferro pendere aiunt, gemmae enim a ferro coloribus ornantur. Sed in superioribus hoc iam satis refutatum esse existimo, quod vulgo ferunt, ferream terram adeo duram, crudam et natura sua quasi vitream et solui posse in corpore et ad sanitatem valere plurimum. Atque ex his rationibus vna elucescet, quam inania medicamenta omnes lapides duriores et colorati sint, vt Armenius lapis, lazulus, iaspis, nephriticus lapis, smaragdus, topasius cet.

§. XXXIX.

LEPORVM TALI seu astragali praesertim ad partum leuandum et contra epilepsiam adhibere solebant. Deficiente enim tum parturientes tum comitiali morbo oppressos facultate pede incedendi, astragalorum horum vsus efficiet, vt pedibus suis eadem fere agilitate, qua lepores solent, denuo vti possint. Signaturae imago adeo accommodata, vt nihil supra! At vero ossa sunt tali leporum, atque non nisi ossium quoque vires praebebunt.

§. XXXX.

LITHONTRIPTICA MEDICAMENTA plurima inania ſunt; adtingam ea, quae maxime frequentantur. *Alkekengi*, ſeu ſolani veſicarii, diuretica virtus vix perexigua eſt: hoc enim ſapor primum ſubamarus, deinde ſemina indicant, quae partibus nec ſtimulantibus fortiter, neque vero reſoluentibus conſtant. Sed quum fructus tum ſemina alkekengi ad praecipua veteres antinephritica remedia retulerunt, id vero non niſi ex ſignaturae principiis, quia ſemina et fructus, calculorum inſtar in corpore, quaſi veſicae incluſa cernuntur.

Adſimilem calculis figuram *dactylorum nuclei* etiam habent, quam ob rem in renum ac veſicae calculis comminuendis deducendisque corpore nuclei iſti eximii esſe non nullis coeperunt. Humores vero humani etſi pulueris horum duriſſimi aliquantum ſoluere valeant, negotio tamen id conficient perquam difficili, vt vix credibile ſit, ad renes et veſicam quidquam de puluere deuectum iri.

Itidem *filipendulae* atque albae aeque ac rubrae *ſaxifragiae* radices lapillis in corpore quidem ſimillimi, ſed ſalis itemque gummi in illis tantilla pars eſt, quae vel minimum calculum nec reſoluere nec expellere poteſt.

Atque hanc cum calculis ſimilitudinem, ſed nullam plane cum veris in calculorum valetudine remediis conuenientiam, *bezoardicus lapis*, *Cyprini piſcis lapides*, *manati*, *percarum* ac *ſpongiae lapis* habent; et item *milii ſolis*, *orobi* ac complurium aliorum eiusdem generis ſemina.

§. XXXXI.

§. XXXXI.

LVMBRICI TERRESTRES, quia corpus ſuum varie contorquent et flectunt, ob ſignaturam olim ad ſpaſmos, ad epilepticos atque conuulſionum motus ſiſtendos frequenter adhibiti ſunt. Recentiores inſcitia ridiculae originis vſum eorum ſeruant. Lumbricorum autem partes modice craſſae, ſeu *muccago* eorum, et exigua ſalis pars, quam continent, etſi facere non nihil in dictis morbis videantur, tantas tamen vires exſerere nequeunt, vt remedium ſint conuulſionum mitigandarum: at rationem infirmam in medicis ſuperat ſententiae, quam ab aliis acceperunt, obſtinatio vehementior. Interim lumbrici etiam medicina vulgi facti ſunt, quippe qui paronychio laborans lumbricum viuum circum digitum aegrotantem glomerat, eumque in digito tam diu retinet, donec moritur lumbricus. Nam ex vulgi ſententia paronychii cauſſa vermis eſt, qui perioſtium adrodit, ideoque vernaculo etiam nomine apud nos *vermis* hic morbus adpellatur. Itaque quaſi vnius vermis mors mortem alterius accelerare poſſet, hoc remedio extrinſecus vtuntur.

§. XXXXII.

PAEONIA haud paeonium in morem hodie vtuntur medici. Planta ea Lunae olim ſacra, quemadmodum ſupra dictum eſt: ſed ſub Lunae imperio etiam cerebrum et nerui fuerunt, quam ob cauſſam in horum morbis ſumme valere paeonia credita eſt. Itaque etiam hodie ſemen et radicem paeoniae omnes fere pulueres ingre-

gredi iubent antepilepticos. At ſi res ſubtilius diſquiratur, radici odor nullus, ſapor ſubdulcis, partes liquidae admodum craſſae, vulgo *mucilaginoſas* vocant, ſalis particulae omnium pauciſſimae. Experientia inſuper docet, ſi quando ſine aliorum coniunctione plantae iſtius radicem et ſemina adhibeamus, hoc remedium prorſus inane eſſe et ſpurium in iis morbis curandis, de quibus maiorem in modum extollitur. Peculiarem veteres in legenda hac radice morem obſeruabant. Praetulerunt eam, quae in oris Paeonici maris reperitur; hanc tamen non, niſi quum ſol in Leone eſſet, collegerunt die ſolari Iulii menſis. Huius autem paeoniae virtutem inſignem fore in cerebro, corde, vtero roborando, in ſanguine, iecinore et renibus purgandis crediderunt. Itaque morbi, quibus profuturam paeoniam eſſe rebantur, ſunt epilepſia, conuulſiones, dyſuria, dolores colici, icterus, dolores veſicae atque lumborum, calculorum valetudo, artuum dolores vagi. Vſus vero tum internus erat, tum externus, vt a collo dependeret paeoniae radix: quem ad modum ſemina quoque vel interne ſumi imperabant, vel tamquam corallia filo adnexa foris in corpore geſtari. Speciatim ſemina in infirma capitis, aut vteri, valetudine commendantur, propriumque aduerſus epilepſiam, hyſtericos morbos, partus difficultatem, dolores edito partui ſuperſtites, aduerſus menſium et iecinoris obſtructionem, in lochiis deiiciendis remedium habentur. Tandem aqua ex paeonia diſtillata, et flores eius in medicina identidem vſurpantur. Aqua quidem contra epilepſiam, apoplexiam, calculos et dolores lumborum: flores vero item-

itemque *extractum* inde, *sirupum*, *conseruam*, *tincturam*, *salem* eius, *faeculam* atque *oleum* in plurimis morbis adhibere solent.

§. XXXXIII.

QVID tam praeposterum excogitari potest, quam si SCORPII cum oleo oliuarum cocti ad sanandum venenosum scorpii, vel alius animantis venenati, ictum esse creduntur? Hoc virus nisi vna cum sudore expellatur, exitum non inueniet. Corpus autem extrinsecus oleo inunctum, vti exhalandis omnibus, ita veneno transspirationis via eiiciendo transitum negat. Itaque insidiosam corpori et oppositam sanationi conditionem non potest non efficere. Oliuarum vero oleum simplex et scorpii oleum vnum effectum praestabunt.

§. XXXXIIII.

SVPERSTITIO magnam medicamentorum multitudinem genuit, maiorem medicorum alit: per hanc a primis retro saeculis VISCVM, praesertim quernum, res medicata factum est. Quercui a primis gentibus maximus semper honor, summa reuerentia habita est. Cuius religionis, nisi me omnia fallunt, prima origo haec est. Mortales in quaque regione primi, praecipue vero in Gallia atque Germania veteri, prius, quam panis subigendi coquendique rationem tenerent, glandibus vesci, et bono animo caram habere arborem coeperunt, abs qua tantam fructuum copiam abunde in singulos annos acceperunt. In primis vero olim a Druidis, quos Galliarum magos adpellat PLINIVS quercus maxima admiratio, et nihil illis sacratius, vel quia inde

ipſi adpellati erant, vel quod a principio lucos roborum elegerant; nec vlla ſacra ſine illa fronde confecerunt. Quidquid adnaſcitur quercui, e caelo miſſum putabant Druidae, ſignumque eſſe electae ab ipſo deo arboris. Et quoniam ortum viſci naturalem ignorabant, ac rarum admodum inuentu erat viſcum in arbore, tanta religio eorum in viſco fuit, vt medicamentum illis fuerit panchreſtum, omnia ſanans, quem ad modum PLINIVS loquitur. Ideo etiam multa ſolemnia in colligendo viſco Druidis fuerunt. Sacrificiis epulisque rite ſub quercu omnia ſanante praeparatis, duo admouebant candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vincirentur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demeſſuit viſcum. Candido id exceptum ſago eſt. Tum deinde victimas immolauerunt, precantes, vt ſuum donum deus proſperum faciat his, quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrabantur, contraque venena omnia in primis vero contra morbum ſacrum eſſe remedio. Signaturae dediti figura ſeminis, quod cruſta tegitur, in tota bacca vnici, cordi ſimillima decepti viſcum remedium eſſe in corde roborando duxerunt. Poſtmodum viſcum quoque betulae, coryli, ſalicis, ac tiliae aeſtimatum eſt maximi, et, ſicut quernum viſcum medicamentum creditum eſt panchreſtum: hodieque in omnibus fere pulueribus inuenitur antepilepticis. Sed in ſapientem medicum non cadit, ſuperſtitionem ſequi, cui medicamentum debetur origine maxime friuolum, natura nullum. Odore enim deſtituitur omne viſcum: ſapor vix leniter amaricans. Praeter

ea

ea partes eius reſinoſae et gummoſae, itemque terreſtres et adſtringentes tantas vires exſerere nequeunt.

§. XXXXV.

TANDEM VVLPIS PVLMONES exſiccati ad pulmonum phthiſin ſanandam commendantur. Ratio lepida: idemtidem vulpes tuſſi ſicca laborat, a qua primaeua eam lingua, nimirum hebraea, nuncupauit *; adhaec in prouerbio eſt, *tuſſim habet vulpinam*, id eſt, phthiſis eum male habet deſperata. Nunquam autem vulpes, quantum conſtat, phthiſi abſumta eſt, quum tuſſis vulpem diutius iuuadat. Quid vero? nonne natura hoc nobis remedium monſtrauit, inquiunt quibus ſignaturae nugae placent, vt vulpini pulmonis ope tabem ſi non vincere, quae inueterauit, per longum tamen temporis interuallum impedire valeamus, quo minus mortem repente acceleret? At enim vero pulmonum vlcus, per ſe inſanabile, nec vulpis ſiccatus pulmo curare valet, nec quo minus longius ſerpat, remoras facere. E contrario quia vulpes carniuora eſt, caro eius ad putredinem magis prona, et quoniam lenta exſiccatione pulmones illius iam putredinis initium paſſi ſunt, talis medicina humorum in corpore acrimoniam magis vitiabit, quae ceteroquin ex vlcere alitur, materia puris in ſanguinem redundante. Itaque vulpis pulmones non abſonum modo atque inane medicamentum ſunt, verum peſtiferum tabe laborantibus.

N 2 §. XXXXVI.

* שועל a שעל *tuſſire*.

§. XXXXVI.

IAM in vulgarium medicamentorum inanitate demonſtranda ſubſiſto, etſi quam plurima adhuc, tam trita quam friuola reſtent. Sed plura perſequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum feſtinatio, vt ea ſolemnia peragantur, quorum cauſſa haec ſcribere inſtitui. Verum ſi vel ſingula expoſuiſſem, quae conſtituta mihi erant, quod tandem operae pretium? Vmbratici ſua in ſententia perſtabunt. Difficile eſt opinionum aetate adultarum amputare ramos, ne dum cunctas euellere radicum fibras. Nihil vero tam alienum ab re excogitari poteſt, quam quod ſemper ad vtilitates medicamenti, de quo quaeritur, vſu cognitas, ſeu, vti loquuntur, ad experientiam ſuam prouocent, qui quid *experientia* velit, intelligere certe non videntur. Namque ſi de efficacitate vera vel ficta medicamenti diſputatio inſtituatur, experientia, quam iactant, nihil ad rem. EXPERIENTIA eſt cognitio per ſenſuum inſtrumenta adquiſita. Hem experiar, quid valeat experientia. Tu ais, haematiten remedium eſſe vehementer adſtringens: ego nego §. XXXVI. Reſpondes, hoc experientia probat. Sed quis e ſenſibus tuis quinque, quaeſo, virtutem haematitae tibi vnquam enucleauit? Negaui, minium ſeu cinnabarim vllam in corpore vim medicatam habere poſſe. Tu ſummorum medicorum vſum ſeu *experientiam* exſtare putas, qui ſatis cinnabaris in corpore efficacitatem cognouerint? Tuam ipſe hac in re experientiam laudas. Sed cuius, quaeſo, externi ſenſus auxilio hoc tenes? Forſitan *viſione*? Tanta igitur tibi eſt oculorum acies, vt videas, quae in corpore fiunt? Itaque a minutiſſimis

medi-

medicamenti particulis, licet adſpectabiles per oſſa, cutem et veſtimenta eſſe nequeant, tamen ad oculos tuos radii lucis deferuntur, vt videas, quid in compoſito medicamine ſingula quaeque per ſe efficiant? — Minime! inquis. Ergo *auditus* ope vim medicamenti cognitam habes, ſeu experientiam, vti loqueris, nactus es? Audiuiſtin' ſingulos minimae particulae in corpore motus, actus, viresque efficientes? — Abſit! reſpondes. At quum tamen per experientiam conſtare efficacitatem medicamenti exiſtimes, hanc tamen nec viſu, neque auditu percepiſti vnquam, tandem vel *odoratu*, vel *guſtu* vel *tactione* hanc ſcias oportet. Sed quum abſonum ſit, ex. gr. ex nitri particulis, quae in ſanguinem diſtributae ſunt, res odoriferas effluere, per liberum aerem volitare, ad nares medici perferri, et ibi odorationem efficere, ex qua medicus ſcire poſſit, quid vnoquoque temporis momento quaeque nitri particula in corpore agat, et quorſum tendat; itemque abſonum ſit, guſtu vel tactione percipere ſimplicium medicamentorum in corpore vires: ex his omnibus tandem conſeqitur, experientiam, ad quam prouocant, obiectionem in hac re eſſe nullam. Per quinque ſenſuum inſtrumenta non patet, quid quodque medicamentum in corpore efficiat; ergo nec per experientiam, niſi fortasſis alio inſuper *ſenſu*, *ſexto* ſcilicet, praediti ſint prae ceteris omnibus hominibus hi, qui ex vſu ſcire contendunt medicamenti in corpore agendi rationem. Si quis autem in philoſophia vel tiro vnquam, nec plane hoſpes fuerit, ſciat neceſſe eſt, cauſſas rerum ratione cognoſci, non vſu ſeu experientia. Vſus et experientia rudimenta

ſubminiſtrant medicinae, §. III., abs quibus ſcite collectis adſcendit mens intelligentis medici atque ratiocinando inde efficit, quae verae medicamenti cauſſae ſunt, quae non. Sed fallacia cauſſarum in medicorum ſcholis nihil frequentius, etſi nihil turpius, nec periculum in vllo mendacio maius. Nulla autem lex, quae punit inſcitiam: et cuicumque experientiſſimum ſe medicum profeſſo facile credit multitudo et omnis, qui vulgarium opinionum curſu abreptus pro ratione auctoritatem ſequitur. Verum enim vero quam indignus philoſopho ratiocinandi modus, — in aegroto quodam, qui ſanguinem reiecit, granis octo haematitae ſumtis cruenta excretio ſubſtitit; ergo hoc illius effectus, illud huius cauſſa exſiſtit, experimur itaque haematiten haemorrhagiam curare. Maxime vero hic famoſus error cernitur in medicamentis, quae dantur, compoſitis. Namque qua, quaeſo, ratione diſcernere vere valemus, quid quodque *ingrediens* per ſe effecerit? et annon ſalutaris effectus ab admixtis potius proficiſcatur. Praeter ea palam eſt, quod vtinam non eſſet, multos pertinaciter in contrariam partem diſputantes ad experientiam vel propriam vel alienam prouocare, qualis tamen nunquam exſtitit. Vitium valetudinis, ac reſtituta ſanitas, itemque medicamentum, quod adhibetur, ipſa ex ſe cernuntur: ſed in animo tantummodo cogitatione poſſumus cauſſam ſanationem efficientem ab iſtis ſeiungere, quae auctoritatis ſententiae, et quae adoptatis peruerſis opinionibus cuiusque potius conuenire videntur.

ERRATA.

Pag. XIX. lin. XV. lege *aſininum.*
- XXIV. - XIX. - *inuexerat.*
- XXVI. - X. - *exſcreatio.*

* * *